

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition des *Carmina* publiée à Lyon chez Jean de Tourne et Guillaume Gazeau, en 1557. Pour certaines pièces présentant des vers fautifs ou des mots illisibles, nous avons pu corriger ou compléter grâce à l'édition des *Poemata* parue à Bâle en 1574.

AD CAROLVM LOTHARINGVM CARDINALEM AMPLISS.

C_1 v.1 Carole, qui serie longa nomenque genusque
 2 Regum alto clarus de sanguine ducis avorum.
 3 Sextus ab indigno profugum (sic fata ferebant)
 4 me passim exilio, commoti ob Numinis iram,
 5 annus agit. Neque praesentem aut optata levavit
 6 lux animum, aut membris nox attulit ulla quietem.
 7 Longa sed immeritum non aequi injuria casus
 8 terraque, incertoque mari, caelique ruinis
 9 usque sequens premit : et toto vix orbe relictam
 10 erranti late tribuit sors invida sedem ;
 11 qua comes, et tanti sola heu mihi musa laboris
 12 conscia, sistat humo gressum, ac miserantibus agris
 13 maesta canat facili conceptum voce dolorem,
 14 ni tua me, qua fessa vagus vestigia fixi,
 15 Austrasia, et lucus frondens, et pingua culta
 16 detineant, amnisque sacer, collesque supini,
 17 ereptumque atro pacati turbine servent.
 18 At trepido caeci terrent horrore tumultus
 19 undique ; et armato stipatus milite Mavors
 20 caede madet, furit ense ferox, ac triste minatur
 21 exitium, summas evertens funditus arces.
 22 Sic gravis immensum multis Latona per orbem
 23 acta malis, utero gestans duo numina, duos
 24 pertulit (infandum) casus ; omnisque negavit
 25 terra locum, Dea defectos ubi poneret artus,
 26 forte natans alto donec levis aequore Delos
 27 errantem accepit. Correpta doloribus illa,
 28 dum parit invita prolem Junone gemellam,
 29 Neptunum et ventos audit transversa frementes.
 30 Insula praerupto circum vaga gurgite fertur.
 31 Haud secus innumeris agitatum erroribus urget,
 32 et quatit ingeminans stridentibus acta procellis
 33 tempestas : ac late ingens circum ingruit horror.

34 Quas non interea clades, quos undique luctus,
 35 terroresque novos, quae non ego funera vidi ?
 36 Nam primum ut Regem, caelo quem summa locarent
 37 invidere Deum desertis numina terris
 38 Franciscum, tanto stupuit perterrita casu
 39 Gallia ; et attonitae cum vatibus ardua sanctis
 40 saxa per, Aonides passis errasse feruntur
 41 crinibus, ignotosque fugam tenuisse per agros.
 42 Quarum sacra ferens, animo mihi conscius aequi,
 43 at vigili invidia, et fatis agitatus iniquis,
 44 ipse lares primum patrios, et Gallica liqui
 45 arva procul, dulcem Austrasiam, sedesque negatas.
 46 Hinc Vogesi rupes, et qua se vallibus imis
 47 gens ad nubiferas Helvetia porrigit Alpes,
 48 et Ligurum cursu populos, et Etrusca peragrans
 49 litora, Trinacriamque, et Parthenopeia regna,
 50 Ausonii flavum consedi ad Tibridis amnem.
 51 Hic mihi dum gravibus miscentur sola querelis
 52 antra, nemus, colles, et musco stagna virenti
 53 obsita, cumque feris saltus, atque invia lustra,
 54 bis septem exactis alter jam mensibus annus
 55 incessit, nec dum optatae spes ulla salutis.
 56 Scilicet auxerunt altum geminata dolorem
 57 tempora, continuo magnum quibus Orphea cantu
 58 amissae casum Eurydices, et saeva querentem
 59 fata Deum, gelidis olim audivere sub antris
 60 aeriae rupes, et Strymonis unda vadosi.
 61 Ecce autem triplici fulgens incana coronae
 62 tempora longaevus Divum qui templa sacerdos
 63 incoluit, fato concedit Paulus, et omnes
 64 undique purpureo velati corpus amictu
 65 conveniunt fratres : hinc sacra coetus in aede
 66 funera divino celebrat suprema parenti ;
 67 inde sacerdotem, senior qui limina servet
 68 celsa Deum vates, incendatque ignibus aras,
 69 praeficit assiduum templis, altisque locatum
 70 sedibus immenso chorus admiratur honore.
 71 Quos inter medius proceres, et gloria sancti
 72 prima nites, et pars incedis magna senatus.
 73 Ipse quoque Austrasia patruus de stirpe Renati
 74 filius, Assyrio splendet cui murice vestis,
 75 sese infert Janus mediis, alteque decoram
 76 caesariem, et laetos oculis ostentat honores.
 77 Janus qui quondam, incolumis dum vita manebat,
 78 per medias Gallorum urbes, et Regia tecta,
 79 se tulit ingenti comitem spectabilis heros
 80 Francisco, fixitque pari vestigia gressu.
 81 Ille, ubi funeribus summa ad delubra peractis
 82 exstinctae siluere faces, et sancta Deorum
 83 sorte novus ducta datus est ad limina custos,
 84 impiger ad patrios cursu remeare penates
 85 contendens, alta secum me protinus urbe
 86 cunctantem studet ad latos abducere fines.
 87 Exanimemque metu, neque adhuc ingentibus ausum
 88 principis illaesi non me submittere jussis,
 89 firmat, et insonti plaendam numinis iram

90 promittit, certamque benigno a Rege salutem.
 91 Namque suis illum precibus, nova munera, pacem,
 92 quam supplex reduci parat exorare, daturum
 93 sperat. Ita admonitu praesentem hortatur amico,
 94 quem prius et scriptis absentem lenibus heros
 95 optimus, et vero solatus amore fuisset ;
 96 immenso hunc ardore ducem sequor, atque nivas
 97 frigora quas validis agitant aquilonibus Alpes
 98 emersi, patriae ventum est ut gentis ad oras,
 99 qua longe placidus cursu freta lata petenti
 100 se Rhodano confundit Arar, vestigia laeti
 101 ponimus : hic gravior confestim nuntius aures
 102 vulnerat, indigno referens ut funere, Jani
 103 Claudius occiderit frater, fortissimus olim
 104 heroum, cui te genitrix Antonia Regum
 105 sanguis, et antiqua ductas a stirpe sorores,
 106 totque tuos enixa tulit, sua pignora, fratres.
 107 Quorum quid memorem laudes, et fortia facta ?
 108 Instructae horrescunt acies duo fulmina belli
 109 Franciscos : hunc terrestri fera Marte gerentem
 110 proelia, seu dux acer equis in saeva furem
 111 arma ruit, pedes adversum seu fertur in hostem ;
 112 aeratas illum rigida in certamina classes
 113 per medium, remis stridentibus, aequor agentem,
 114 praeclarum adverso fulget cui pectore belli
 115 insigne, egregioque nitet decus ore paternum ;
 116 sublimem pietas Ludovicum insignis ad astra
 117 tollit, qui pura Divum prece numina placat,
 118 et supplex meritos aris incendit honores.
 119 Magnanimi nomen referens animosque parentis
 120 Claudius. Hic ubi cum duris horrenda Suevis
 121 fervidus audaci committit proelia dextra,
 122 caede furens, equitum medio dux agmine fertur
 123 obvius, ac sternit densos acerrimus hostes.
 124 Ecce autem a summo devexi vertice montis,
 125 qua nemus insidias umbra occultabat opaca,
 126 sese armata procul gens impete barbara vasto
 127 praecipitat : totos et equis et milite campos
 128 complentes late, veluti cum spumeus omnem
 129 sternit agrum, et rapido defertur flumine torrens,
 130 nix ubi se, quam multa jugum tegit omne, resolvit
 131 victa Noto, sonitumque ciet per saxa frementem.
 132 Heu invicta doli premitur molimine virtus.
 133 Gallica per dumos acies, perque arva, ruentum
 134 ingenii numero, et circum obruta funditur armis.
 135 Ipse super comitum, non aequo Marte, cruentam
 136 projectus stragem, saevo dux vulnere corpus
 137 saucius, ora lacer, foedatus sanguine crinem,
 138 vi procul (horrendum) rapitur, captivus et hosti
 139 dat spolia, ac Scythia immanes aufertur ad oras.
 140 O invisa ducum clades, o dira madentem
 141 mors adeo maculans generoso sanguine terram.
 142 Sic Fabii quondam Cremerae diffusa rapacis
 143 ad vada pugnantes, multisque in millibus acri
 144 durum invadentes belli certamine Martem,
 145 Tyrrhena cecidere manu, sed fama per aevum

146 durat, et invita stat gloria morte superstes.
 147 Nec minus et qui ipsa do stirpe Renatus aviti
 148 nominis est haeres, primo vix flore juventae,
 149 nec dubia signatus adhuc lanugine malas,
 150 se procul in medium fert imperterritus agmen.
 151 "O quantum (superet juveni modo vita Renato)
 152 sanguinis effundet, pubis caedem ultus acerbam
 153 amissa, et ferro captivum vindice fratrem !
 154 Hic ego nec merita quas tollit laudo sorores
 155 fama vigil, sileam. Ludovicae (ut dura tulit sors)
 156 florentem rapuit mors immatura juventam :
 157 cui domus antiquum dederat Chineia nomen.
 158 Aeternum sedenim toto clarissimus orbe
 159 vivit honos, et quem docuit servare pudorem,
 160 nunc ipsa sequitur manes in morte sepultos.
 161 Stant aris aliae vigiles, et numina circum
 162 sacra canunt, onerantque ardencibus aethera votis.
 163 Plurimus his nitet ore decor, virtutis et alto
 164 corde pium servant, et virginitatis amorem.
 165 Te, Maria, extremo penitus Regina repostae
 166 Oceanogentis, magno summissus honore
 167 commemoro, quam saepe altum mirata per aquor
 168 ducentem Tethys acies, armisque potentem,
 169 cui freta devexo jam sole tepentia late,
 170 orae cui dulces regnantur, et ultima Thule.
 171 Et modo segura gentes in pace quietas
 172 illa regit, natae, superat quae sola parenti,
 173 connubia exspectans, juvenem cui laeta jugali
 174 Delphinum sociare parat Saturnia vinclo ;
 175 jamque faces incendit hymen, his Carole fatis
 176 amissi mortem solare parentis iniquam.
 177 Quem simul ac diro sublatum funere Janus
 178 audiit, attonitus casu, lucemque perosus
 179 ingemuit, gravis ossa dolor labefacta peredit,
 180 altaque turbarunt insomnes pectora curae.
 181 Protinus improvisa ruens, extrema gementem
 182 dejicit, exanimesque viri mors occupat artus.
 183 At chorus Aonidum flentes, heu flumine passos
 184 implevere sinus : indulisit maesta dolori
 185 Gallia, et Ausoniae gentes, clarique nepotes.
 186 Hic miser amisso certae ductore salutis
 187 quid facerem ? Quo me, nondum mihi Rege timenti
 188 pacato ferrem ? Aut quae me fortuna maneret ?
 189 Montibus et silvis errans, hominesque Deosque
 190 incusavi amens, et questubus omnia late
 191 commovi : sic Austrasia tellure potitus,
 192 arma inter, sonitusque tubarum, et stragis acervos
 193 vitam ago ; sed juncti quae spes est foederis olim
 194 cessurum posita promittit casside Martem.
 195 Hanc sperare tuo liceat mihi munere pacem
 196 insonti : sit fas hic vivere neutra secuto
 197 arma ducum, et Regis placatam agnoscere mentem,
 198 cujus et assiduus castris ego miles in hostes
 199 arma tuli. Et melius festa quae pace geruntur,
 200 quantum opus est, animo servavi cuncta fideli.
 201 Nec me diversis addictum partibus, ulla

202 senserunt gentes, acer seu proelia Mavors,
 203 miscuit, optatam seu pax dedit ordine sortem.
 204 Caelum ipsum, ultoresque Deos, et sidera testor
 205 haud umquam admissio laesum mihi crimine Regem.
 206 Gallicus aeterno gaudet gens Nervia sanguis
 207 foedere, nec partes alias, aut extera castra,
 208 signave quae signis Gallorum adversa minantur
 209 sustinuit malefida sequi ; sed Regia gestans
 210 arma, fero validas ostendit pectore vires.
 211 Quod te, si quis amor verae pietatis, amicam
 212 oro imploranti fer opem, ut quae vita labores
 213 acta per innumeros, aequo jam numine partam,
 214 quod superest aevi, peragat segura quietem.

AD IANUM BELLAIUM CARDINALEM POETAMQUE EXIMIUM.

C_2

v.1 Vix ego conspectu nuper divulsus abibam
 2 Jane tuo maerens, et equo referebar in urbem ;
 3 tuque domum interea laetis, et Gallica longe
 4 pacibus arva petens, regis mandata secutus
 5 impiger Ausonii deserta litoris ora,
 6 pergebas, iter aerias qua ducit in Alpes.
 7 Ecce per umbrosas valles, collesque supinos
 8 prospicio, et late per devia rura vagantes
 9 crinibus Aonidas passis : cressam illa sinistra
 10 barbiton, haec citharam dextra, plectrumve tenebat,
 11 nec gravis incessu chorus ipse, nec ulla sororum
 12 laurigera solitum servabat fronte nitorem.
 13 Omnis at insano fugiens errore virentes
 14 turba peragrabat saltus, gemitumque ciebat
 15 ingentem, et misero dum plangore fremebant.
 16 Quales in mediae sacri trieterica Bacchi
 17 Phocidis excelso cum Menades Orgia monte
 18 festinant, Tyrsisque leves frondentibus auras
 19 cum clamore rotant in gyrum, et acuta repulsant
 20 tympana, concussoque omnis tonat aere Cithaeron.
 21 Ut procul attonito passim terrore furentes
 22 agnovi Musas, adcurro, celerque dearum
 23 praecipitem vasto longe sequor impete cursum :
 24 nomine quamque vocans, et anhelum effundo sub auras
 25 ciamorem. Quae causa fugae ? Quae causa timoris ?
 26 Quis furor, aut gemitus ? Quis vos agit error et urget ?
 27 State, deae, precor, o state : agnovere vocantem
 28 protinus, et pressos curva sub rupe Camenae
 29 continuere gradus, ac longo turba labore
 30 saucia, dumosa tandem in convalle resedit.
 31 Ut vigil e summo pendentis vertice saxi
 32 cum viridi prospexit oves in gramine pastor
 33 turbatas agitante fera, totoque trementes
 34 vellere, et exanimi sata per dumosque timore,
 35 perque loca hostilem fugientes avia morsum,
 36 it citus, inclamatque, et per compendia praeceps
 37 praerupto de monte ruit, tandemque reductum
 38 cogit, et angusto clausum pecus occulit antro.
 39 Haud secus horrentem gelidis in vallibus umbram

40 servabant maesta Aonides, quarum una resolvit
 41 sic aliis Erato divina silentibus ora.
 42 "Quid miseris animi superest ? Altrove dolori
 43 quis modus ? Aut verbis adeo quae dulcibus aegras,
 44 vel cantu lenire queant solacia mentes ?
 45 Delicias olim certo quas foedere verus
 46 conciliarat amor, dederat quas conscia virtus,
 47 aeternum sors immeritis indigna Camenis
 48 eripuit, maestisque suos invidit amores.
 49 Innumeris dudum fati mors effera sanctos
 50 casibus, infandaque oppressit clade poetas.
 51 Et mala nos ipsis orbarunt funera tandem
 52 vatibus, aut illos demens, ut semper, iniqui
 53 nunc alio profugos injuria temporis egit.
 54 Sic ubi serpentis letali incauta veneno
 55 occidit Eurydice, diroque ut maestus in herba
 56 Eurydicen Orpheus collapsam vulnere vidit,
 57 heu late miseris inconsolabilis altam
 58 vocibus implevit Rhodopen, et in aera magno
 59 nequicquam tristes effudit amore querelas.
 60 Hic quoque Taenariis horrentem faucibus Orcum
 61 ingressas, vacuas Erebi pallentis ad umbras,
 62 et nigram ignoto descendit tramite noctem,
 63 Threiciaque gemens per inania regna profundos
 64 commovit cithara manes, Ditemque tremendum,
 65 Cerberiasque novis permulsit cantibus aures ;
 66 agminaque Eumenidum, trepidique Ixionis orbem,
 67 et fidibus rapidum tenuit Phlegetonta canoris.
 68 Inde bis amissae crudelia conjugis Orpheus
 69 fata querens (namque illa gravi circumdata somno
 70 rursus, et ora viro primum flectente relabens,
 71 caerulea Stygium cymba tranaverat amnem)
 72 Strymonii adstratus aquis in valle reducta,
 73 cornua jam Phoebe donec septena reduxit,
 74 casum infelicem, et miseros evolvit amores.
 75 At procul audito lenitae carmine tigres
 76 decurrere jugis, et flavam ad fluminis undam
 77 Chaoniae moto venere cacumine quercus,
 78 atque umbram fecere loco. Non pertulit ullam
 79 hinc Orpheus Venerem, aut ullos tetigit hymenaeos.
 80 Tantum alto perstans vigil indulgere dolori,
 81 Hebrumque, Tanaimque, Getasque, acresque Gelonos,
 82 et juga Riphaeis peragravit inhospita lustris
 83 assiduo concreta gelu. Raptansque vocavit
 84 Eurydicen. Atri simul irrita dona tyranni,
 85 foedera rupta simul clamans miserandus, inanes
 86 diffusum late jactavit in aera questus.
 87 Orgia tandem inter, simulataque sacra deorum,
 88 contemptae Ciconum medios diversa per agros
 89 membra viri sparsere nurus, niveaque revulsum
 90 a cervice caput fluvio injecere. Sed illud
 91 amne natans, lingua jam deficiente per undas
 92 Eurydicen, ipsa Eurydicen in morte vocabat.
 93 Nec minus excelsis haerentia montibus olim
 94 saxa, nova in campos duxit qui voce patentes,
 95 Thebanamque sono posuit testudinis arcem,

96 occubuit fato Amphion. Amphiona Dirce
 97 flevit, et effusum lacrimis immiscuit amnem.
 98 Hunc Dryadum chorus, hunc silvae gemuere dolentes ;
 99 Silvanique, omnisque simul Boeotia tellus.
 100 Quid coluisse sacro Pindi juga profuit alti
 101 Maeonidae, et nostri fontes Heliconis amoenos
 102 admotis gustasse labris, aut ordine Graios
 103 commemorasse duces, iramque frementis Achilli,
 104 et Phrygias acies, quoque arserit Ilion igni,
 105 utque implacata laesi vi numinis, alto
 106 sors dira invictum pelago jactarit Ulyssem,
 107 invida Tartareis illum si fata tenebris
 108 demersere ? Et jam exigua fera voce canentem
 109 proelia, per lucos in Averna valle, silentes
 110 circum errant umbrae, cantuque moventur inani :
 111 quam multae volitant, ac per nemus omne Lycae
 112 condensantur apes, ubi fetum examine robur
 113 concussit laevum jaculo stridente viator
 114 nescius ; illae ornos et quercus inter opacas,
 115 sub clarum obscuram convolvunt aethera nubem.
 116 Ennius antiquis horrenda Quiritibus arma
 117 dum canit, et rauco Martem ciet aere cruentum,
 118 indignam oppetiit mortem. Cessere theatris
 119 comica verba procul, tragicique poematis auctor
 120 Thespis ; et indutus palla qui deinde revinxit
 121 Aeschylus adducto vestigia lenta cothurno,
 122 quid faciles dicam numeros, inopemque senectam,
 123 et servile jugum Plauti, qui pressus acerbo
 124 dura (nefas dictu) subiit pistrina labore,
 125 ferventemque molam circum citus egit in orbem ?
 126 Quid querar et versus Naevi, et cecidisse poetam
 127 Caecilium ? Quid te Poenorum antiqua Terenti
 128 gloria, et, in Latium, Graeco prius ore loquentem,
 129 conversum lapida quondam tibi voce Menandrum ?
 130 Carmina dum lyrica princeps arguta Camena
 131 Pindarus, et Phoebus modulatur digna parente,
 132 dum superos cantu, caelumque, genusque deorum
 133 personat heroas, justaque ut morte bimembres
 134 Centauri occiderint, ac saevae flamma Chimaerae,
 135 fronte sacralaurum meruit gestare virentem.
 136 Sed tandem orba leves maestum lyra carmen in auras
 137 reddidit ; ac frustra gladios a caede nepotum
 138 illius abstinuit, qui ferro victor et igni,
 139 et misera Thebas evertit strage ruentes.
 140 Laeta sub Augusto clari quae Caesare vates
 141 saecula felici videre nitentia cultu,
 142 haud umquam reditura, nec ullis visa priorum,
 143 supremo Latium caelo et Tiberina tulerunt
 144 ostia, Vergilio dum Roma canente Latinos
 145 audiret suspensa duces, Turnumque ferocem,
 146 et Turni Aenean horrenda caede cruentum ;
 147 ardua dum Varro magnum cantante sonarent
 148 pulpita ; dum reges memoraret Tucca superbos,
 149 et numeris vacuas impleret Horatius aures ;
 150 Naso decus (sed sors vetuit) Sulmonis aquosi,
 151 in nova diversas mutaret corpora formas :

152 totque simul doctis aliorum plauderet ingens
 153 carminibus vatuum populus, densoque frequenter
 154 Urbs fremitu celsi gauderet pulchra theatri.
 155 Sed properata negant absumpto fata Maroni
 156 perfecti Stygios extremum ferre laborem
 157 ad manes operis. Nasonem in litore Ponti
 158 exilium, praesens alios oppressit egestas.
 159 Maecenas, furiis olim oppugnata malorum
 160 quo placidam virtus egit fautore quietem,
 161 incubuit stratis morbo irrequietus inertis.
 162 Hinc quoque civili foedum qui sanguine Martem,
 163 cognatasque refert acies Lucanus, iniqua
 164 morte perit, crudoque feri jacet ense Neronis.
 165 Praecipue (infandum) nostrae spes una salutis,
 166 cum tenues atro vitam exhalavit in auras
 167 funere Franciscus, miti quo Principe dudum
 168 otia securae produximus alta sorores,
 169 tanti dira lues et ineluctabile fatum
 170 invaluit late casus ; magnumque per orbem
 171 terruit immani attonitos horrore poetas.
 172 Haec modo, si qua novis homines injuria passim
 173 cladibus insequitur, duro tibi nota labore,
 174 o Masuri : tincta invidiae quem lingua veneno
 175 criminis insontem insimulat, profugumque vagari
 176 cogit, et immeritum patriis expellit ab oris.
 177 Nos autem amisso turbatas Rege, per omnes
 178 impetus egit agros, et sentibus aspera duris
 179 per juga, perque altas loca vepribus invia silvas.
 180 Clarus Apollineae capiti delapsus aperto
 181 frondis honos, atro cesserunt alba colori
 182 lilia, feralem tenuit manus aegra cupressum,
 183 dulcem nulla dedit sonitum lyra, nulla sub auras
 184 vox leni argutos effudit gutture cantus ;
 185 plangorem fidibus maestis, et voce querelam
 186 edidimus, largo suffusae lumina fletu.
 187 Huc tandem adpulsae fatis, excelsa subimus
 188 moenia, quae flavo sinuosus vortice Tiberis
 189 alluit, et vastum inde fuga procurrit in aequor.
 190 Ecce salutatum laeto Bellaius ore
 191 procedit, dulci quo gratior hospite nullus,
 192 nec pulsare lyram, aut heroica ferre superbis
 193 facta modis, heroe alter praestantior heros.
 194 Hic Latium nuper, casu compulsus eodem
 195 venerat, et tristi curam sub corde premebat.
 196 Dum tamen ostentat simulato gaudia vultu,
 197 sollicitasque novo prudens solamine mentes
 198 mulcet, et excultis affusam versibus urbem,
 199 nosque simul posito suspensas ordine circum
 200 detinet, en alter tacitis incesserat annus.
 201 Jamque dolor maestis animis excedere sensim
 202 coeperat, et laetum facili decus ore nitebat :
 203 laurea jam viridi subjectos fronde capillos
 204 torquebat fingens, et Jani carmine vatis,
 205 inque vicem nostris resonabant cantibus aerae,
 206 cum subito assurgens horrentibus atra procellis
 207 tempestas, ponto penitus nos obruit alto ;

208 ereptumque sinu viduo, tepidisque repente
 209 aversum ex oculis, rigidas trans abstulit Alpes
 210 Bellaium : patriis longe qui finibus adstans,
 211 immemor heu, docilisque lyrae securus, et omnem
 212 Musam aspernatus, miseram elusit amantes.
 213 Quare nulla graves admittant gaudia curae,
 214 maestum plectra sonent, nec laeta virentibus umquam
 215 frondibus impediatur collectum laurea crinem.
 216 Tales aegra suo rumpebat Musa querelas
 217 pectore, et effuso madidae vultum imbre sedebant
 218 maerentes aliae circum : sed talia contra
 219 ordior, atque animos tento revocare labantes.
 220 Comprimate, o Musae, lacrimas, et corde timorem
 221 solvite, Bellaium tanti nec taedet amoris,
 222 nec pedis heroi diversum oblitus in orbem
 223 concessit, spernitve lyram exornare decenter.
 224 Sed reor et magnae reducem conabitur urbi
 225 reddere, quae Ianum Pallas comitatur euntem :
 226 Gallia quin etiam duris exterrita nuper
 227 casibus, optata securam pace quietem
 228 jam fovet, ingentique afflantur numine vates.
 229 Illic Francisci Regis Rex filius, ipsum
 230 insequitur, veraque refert virtute parentem ;
 231 et multo insignes amplexus amore poetas
 232 carmen amat. Regi comitem se Carolus infert,
 233 Carolus Austrasiae clarum decus ; ille rubenti
 234 caesariem attollens ornatam tegmine, longe
 235 conspicitur, Tyrioque nitens incedit in ostro.
 236 Ille novus dextro successit Apolline tandem
 237 Mecenas, illo reduces fautore poetae
 238 in patriam, posthac numeroso dulcia cantu
 239 arva celebrabunt. Et vos (absistite curis)
 240 egregio faciles cantabitis ore Camenae."
 241 His dictis paulum cessit dolor, alta quierunt
 242 pectora, fortunae magno melioris amore,
 243 speque simul gaudent. At tu, si cura salutis
 244 Pieridum est, ne vana deae promissa querantur,
 245 huc precor, huc agilem Bellai dirige gressum.

AD IANUM BELLAIUM CARD. AMPLISS.
 IN LIBRUM TERTIUM AENEIDOS GALLICE REDITUM.

C_3 v.1 Amissum indigno maerens dum funere luget
 2 Gallia Franciscum, nimioque insigne dolori
 3 indulgens, lucis Dryadum genus errat opacis,
 4 Naiades effusis liquidos dum fletibus amnes
 5 permiscunt, lateque fremunt ululatibus agri,
 6 attonitae, quarum sancto prius omnis amore
 7 Gallia florebat, Gallis ignota relictis
 8 arva per et silvas procul erravere Camenae.
 9 Quos ego per totum vestigans sedulus orbem,
 10 Italiam fato profugus Lavinaque veni
 11 littora. Pieridum Roma chorus urbe sororum
 12 in media mihi forte nitens inventus ; ubi istam
 13 laetior assiduo demulcet carmine mentem,

14 inque vicem dum te circum chorus ordine sedit,
15 edita, Jane, tuo dulcissima carmina plectro
16 miraturque, auditque lubens, et docta virenti,
17 dulce decus laudis, praecingit tempora lauro.
18 Ergo insperatas susensus in urbe Quirini
19 ut vidi Musas, ut me videre Camenae,
20 rite salutatum propero summissus, at illa
21 excepere choro medium, dextrasque dederunt,
22 deque novem sic est affata sororibus una.
23 Tune igitur casu dudum perculsus acerbo,
24 tune ades, et longum conficti criminis insons
25 pergis iter ? Sic dum mortem Franciscus amaram
26 appetit, ipsa alto fit vulnere saucia virtus ?
27 Nos quoque per totum profugas exterruit orbem
28 horrida mors, atra horrescunt si funera Musae.
29 Usque ferox certe attonitas oppressit, et udo
30 compulit imbre genas, passosque implere capillos.
31 Laurea delapsa est capiti, sic fata ferebant,
32 feralemque manus tenuit vix aegra cupressum ;
33 non arguta lyrae fidibus sonuere canoris,
34 nec facilem dulci vox impulit aera cantu ;
35 plangorem lyra maesta dedit, longosque sub auras
36 fudimus incassum gemitus, et flebile dictu,
37 lilia funereo ceperunt alba colori.
38 Sors ergo ut duram miseris asperrima cladem
39 intulit, heu Gallos, et amata relinquimus arva
40 Gallorum, insigni quondam florentia cultu.
41 Aonas hinc montes, nostrique juga ardua Pindi
42 impetus est petere, et patrias invisere sedes.
43 Longa per aerias Alpes via ducit in oras
44 Italiae : tum summus amor Romana videre
45 moenia, quae flava Tiberis pater alluit unda,
46 divinisque olim celebratam vatibus urbem,
47 atque potens armis Latium, Phrygiosque penates.
48 Pergimus huc, longeque simul per devia gressum
49 dirigimus : tandem optata sumus urbe potitae.
50 Excipit hospitio fessas Bellaius heros
51 noster amor, nostrique animum inflammatus amore ;
52 quamquam alto ingentes persentit pectore curas
53 in casu hoc, vultu simulans sed laeta sereno,
54 solatur maerore graves. Hinc corde dolorem
55 ponimus, et placidas agitant nova gaudia mentes.
56 Nos modo Roma tenet, Janum modo Roma canentem
57 suspicit, ac laeto circum nos ore sedentes.
58 Tota poetarum sacro celeberrima coetu
59 Urbs nitet, excelsi plausu fremebunda theatri,
60 ut jam prisca novi referant hic saecula Quirites
61 illa, quibus magni divino ex ore Maronis
62 audiit Augustus cantatam Aeneida Caesar :
63 "Hanc tu si patrio, quo coepta est carmine totam
64 reddere curabis, sic respondere paratus
65 Francisci, fecit quondam quae maxima, votis,
66 praesenti faciles erimus tibi numine Musae.
67 Perge age, redde tuis Bellaio iudice tutus,
68 Trojamque, Aeneamque Phrygem, regesque Latinos."
69 Sic ait : et summo frondentem vertice laurum

70 contigit, ac multo dextram comprehendit honore.
 71 At mihi, terrifico jamdudum accendere cantu
 72 mens agitat Martem, et fortes invadere pugnas ;
 73 armaque, et Aeneae casus, longumque laborem
 74 dicere, conceptoque opera intermissa dolore
 75 perficere, et pulsus animum componere curis.
 76 Haud mora Pieridum jussu paremus, et ipsis
 77 nos Gallis canimus, Tyriis quae fata renarrat
 78 Aeneas, tantosque adeo qui juveris ausus,
 79 hic nostrae, si qua est, ferimus tibi praemia laudis.

AD PETRUM CASTELLANUM, SAMMARTINNORUM COENOBII ARCHAM DIGNIS..

C_4 v.1 Castellane, decus magnorum insigne parentum
 2 praeclaraeque domus, absentem quinque diebus,
 3 semotumque, pares si quando queruntur amici,
 4 rura paterna tenent. His otia forte seorsum
 5 laetus amas, et quos ripis declivibus alte
 6 alluit effuso placidissimus amne virentes
 7 Mosa toros, ubi densum umbra nemus horret opaca,
 8 et cultos ostendit ager Sorceius hortos.
 9 Sed neque dum curis animam gravioribus omnem
 10 exuis, imo omnes excedunt pectore curae
 11 nec quae sola juvant altam dant rura quietem.
 12 Solliciti mens plena metus agitur in horas,
 13 ne qua vel immeritam turbent incommoda plebem,
 14 vel gravis oppressa rerum status urbe feratur
 15 in praeceps, aut invidiae succumbat honestum.
 16 Magnanimusve novo bellorum turbine princeps
 17 jactetur, Marsque indomitis ferus irruat armis.
 18 Tantus amor patria, sic res tibi publica cordi.
 19 Nec minus ipse meo, laetus qui ridet agello
 20 immoror, et quantum vitae ratione vel aequa
 21 sorte datur, curas animo propello sequaces.
 22 Sorceium tibi rus immensas munere divum
 23 fundit opes, munit foribus praeclusa superbis
 24 arx aditum, stridet versato limen ahenum
 25 cardine, lata patent immanibus atria portis.
 26 Structa mole, duplex ad caelum educta minatur
 27 turris, et ingentes praecingunt moenia fossae.
 28 Me si non eadem vultu fortuna benigno
 29 respicit, et domus est ac res minus ampla merenti :
 30 at facilem praebet victum tellure feraci
 31 non ingrata Ceres, et miti Liber Iaccho
 32 pocula plena, graves neque collibus invidet uvas.
 33 Sic adeo vacuumque juvat, residemque moratur
 34 Sammelianus ager, qui millibus urbe duobus
 35 est procul : aut fovet amplexu me Portus amico.
 36 Quale suum Flacco Tibur, vel quale Tarentum,
 37 quae quondam cupidus visi loca ; quippe nitentes
 38 flumine Mosa suo tibi praeterlabitur hortos.
 39 Fons mihi perspicuus viridi circumlita musco
 40 saxa lavit, gelidoque cadens e marmore raucum
 41 unda ciet murmur, cursu vicina fatigans.
 42 Hunc laeto Aonidum celebrat chorus agmine fontem

43 quique cava rigidas egit testudine rupes
44 Amphion, antro Actaeo, Dirceque relictæ,
45 rupe sedet gelidam qua fons hic egerit undam.
46 Dum sedet, obloquitur fidibus diversa canoris,
47 et modo Graeca sonat, numeros modo pulsa Latinos
48 dat lyra, nunc versus vates meditatur Etruscos,
49 nunc quos alta pari jactat pede Gallia cantus.
50 Gramineas fluvii vestit tibi plurima ripas
51 populus, aut incurva salix, aut decolor alnus,
52 qui virides ipso rivus mihi fonte per herbas
53 decurrit, longumque fuga sinuatur in anguem.
54 Is versata levi demulcens saxa susuro,
55 sentit odoratam densa inter lilia laurum.
56 Laurum Phoebus amans alto dum spectat Olympo,
57 laetus agit nitidum volvitque serenior axem.
58 Ingentem interea tepidis sub solibus umbram
59 arbor opaca tegit, lateque effundit, amoenum
60 qua fovet, aeternumque virens complectitur amnem ;
61 sic eadem subita quondam radice retenta,
62 virgineosque novo circumdata cortice vultus,
63 constitit ad patrias Daphne Peneia ripas,
64 primaque dilectae Phoebus dedit oscula frondi.
65 Non aerei centum claudunt mihi limina vectes,
66 murorumve minae, vel propugnacula portis
67 stant adversa meis, aut ingens machina belli ;
68 firma sed a stabulis nocturnos janua fures
69 arcet, et arcus agens telis, acerque molossus,
70 et celeres catuli, quibus arva nemusque peragrans,
71 aut leporem persto, aut capreas agitare fugaces.
72 Ille mihi, fessam curis abducere mentem
73 quandocumque sinunt objecta negotia, vitae
74 est modus. At quamquam sit mens obnoxia nulli
75 invidiae, studiumque vigil non laedere quemquam,
76 et sit avaritia vacuum mihi pectus et omni
77 ambitione procul, quamquam hoc novistis amici :
78 haud tamen invidiae tutum a latratibus usquam
79 fata sinunt, instat tergo crudelis Arachne
80 dira sonans, linguamque gravi suffusa veneno
81 exacuit nigra scabros rubigine dentes.
82 His illa infrendens absentem rodit, et ira
83 aestuat, has habeat quod se prior advena sedes,
84 nec generos multo dignetur honore superbos.
85 Te quoque livor edax, et mens accensa malorum,
86 si nescis, aegre nimium fert esse potentem ;
87 teque loco, virtus animi quem sola paravit,
88 si queat, immeritum deturbet, et irruat hostis.
89 Hac ego (magna decet si quem componere parvis)
90 tuque, sumus duo sorte pares : sic paene gemelli.
91 Unum ea sors discrimen habet, tibi celsa petenti
92 dii faciles, auraeque aspiravere secundae,
93 donec in immensum res exiit, et modo ventis
94 dum quatitur, summum propria stat mole cacumen.
95 Me quondam nimio Jani fortuna favore
96 sublimem evexit, nec longum tempus, et atro
97 (heu male pro meritis) dejectum turbine pressit,
98 ac procul extremis diversi partibus orbis

99 jactatum, ad patrios ubi jam meliora penates
 100 fata reduxerunt, indigno funere Janum
 101 fama refert, cujus servabar numine, raptum.
 102 Inde recens luctus, tandem hinc ut sorte benigna
 103 vix etiam, dum fata queror crudelia, tantum
 104 longa dies animi coepit lenire dolorem.
 105 Dumque feret melior jams pes oblata futuri,
 106 scilicet inventa est fato, quae bella pararet,
 107 otia turbaret, fessum insequeretur Arachne.
 108 Cujus conatus, fraus, ars, vis effera, quamvis
 109 ingenio nullam sint allatura timorem,
 110 dum tamen insidias amens molitur inanes
 111 femina, et ardenti fervens Acheronta dolore,
 112 et generos movet, atque ignobile vulgus in arma,
 113 magnam adimit placidae partem importuna quietis.
 114 Nimirum emenso qui duros orbe labores
 115 pertulit Alcides, vinxit qui monstra catenis,
 116 cui superata gravis toties fortuna ferendo est,
 117 non nisi supremo commotam fine domari
 118 comperit invidiam, atque animi subsidere motus.
 119 Sed generosa, Deum fati ne cedat iniquis,
 120 quamlibet et magno superet discrimine virtus.

AD CLAUDIUM FILIUM INFANTEM.

C_5 v.1 Qui puer amissa superas mihi conjuge raptam
 2 fle matrem, et teneras perge madere genas.
 3 Illa gravem, ut decuit, gereret cum fertilis alvum,
 4 tuque fores uteri dulce tumentis onus,
 5 saepe marem precibus divos oravit, Olympo
 6 attollens duplices officiosa manus.
 7 Dii videre, manus ad siderae celsa supinas
 8 tendentem, et caelo sustulit aura preces.
 9 Annuerant illi precibus, tu protinus orbi
 10 exoriens, udo lumine multa gemis.
 11 Interea nitet egregio decus ore, madentes
 12 nec minus effuso proluis imbre genas.
 13 Scilicet humanae certa haec sunt omina sortis,
 14 jam primum ut vitae carpitur aura brevis.
 15 Et tepidis alte qui liquitur humor ocellis,
 16 praesagit maestos, quos agit hora, dies.
 17 Sors eadem et reges agit importuna superbos,
 18 quosque premit tecto paupere dura fames.
 19 Cetera prognerant validos animantia fetus,
 20 humanae quorum non eget ullus opis.
 21 Unum summa parens hominem natura sub auras
 22 protulit infirmo corpore, robur iners.
 23 Cui comites duri, superest dum vita, labores,
 24 cui procul insomni lumine pulsa quies,
 25 quem vigilantes agitant curae, quem denique terrent
 26 assiduis caelum, terra, fretumque, minis.
 27 Sic ubi me tellus infantem Nervia primum
 28 tot tulit, ac tantis, exposuitque malis.
 29 En misero gemitus, miserae praesagia vitae,
 30 quam toto immensus conficit orbe labor.

31 Vix etenim primae tacto mihi flore juventae,
 32 cum neque vis ipso corpore firma satis,
 33 servitio pressus regali deferor aula,
 34 mens calet, et curis irrequieta furit.
 35 Tum gravia impediunt urgentque negotia, seu lux
 36 sit data, seu medio nox vigil axe ruat.
 37 Tum ferus ardentem Mavors horrentibus armis
 38 detinet, et lituus, classica, castra, duces.
 39 Hic quamquam haud minimo fidentem regis amore
 40 firmaret trepido spes malefida pede ;
 41 quamquam heros (neque amor levis hic) me Janus amaret,
 42 Janus Apollineo de grege primus honos,
 43 Janus amor Phoebi, Tyrio velatus amictu
 44 corpus, et Austrasiae gloria summa domus.
 45 Fatorum tamen invidia, saevisque juventa est
 46 magnorum imperiis exagitata Deum.
 47 Impia mendacis primum perjuriam linguae
 48 (permixtum hanc atro sanguine virus alit)
 49 finibus insontem patriis egere, nec ulla
 50 me regione vagos sistere passa pedes,
 51 immanesque lacus, et quas Helvetia valles
 52 gens sub praerupta barbara rupe colit ;
 53 Alpinasque nives, et nubibus Appennini
 54 praecinctum, assiduo quod madet imbre caput ;
 55 et Ligurum populos, et quo lavit Arnus, et alti
 56 sola peragravi litora Pausilipi,
 57 Parthenopesque sinus : hinc ruptis Aetna caminis,
 58 et Siculam tumidis litus aditur aquis.
 59 Inde pater flavo Tiberis qui labitur amne,
 60 altaque defesso Roma petita pede.
 61 Bis septem Latio totos ex ordine menses
 62 dum moror, et profugum limite Roma tenet,
 63 et caelum et superos, et manes questibus auras,
 64 et rigidas movi per juga summa feras,
 65 et nemus, et nemorum nymphas, amnesque, lacusque,
 66 Panaque cum Satyris, Aonidumque choros.
 67 Laetior inde metu cunctantem abducit, amicos
 68 confisus frustra Janus adesse deos.
 69 Placandum insonti Regem, veniamque daturum
 70 spondet, et a duris omnia tuta malis.
 71 Dum campos igitur patrios atque arva tenemus
 72 Gallica, nec Regis jam procul aula nimis,
 73 ecce via (infandum) media, qua laetus amoeno
 74 Sequana gramineos alluit amne toros,
 75 mors heroa novo rapit obvia funere Janum ;
 76 Austrasia cui nunc ossa teguntur humo.
 77 Tum subito attonitus casu, ceu forte viator,
 78 cum caelo ad dextram Juppiter intonuit,
 79 et simul ingenti quercus vicina fragore
 80 concidit, ac terram fulmine tacta premit,
 81 et lacerata comas, altum quibus ante petebat
 82 aethera, jam rupto vertice tangit humum ;
 83 it stridor caelo, et valido Notus imbre minatur,
 84 densaturque aether, et micat igne polus,
 85 hic stupet, ignarus sese quo vertat, et ipsis
 86 se queat, evadens eripuisse malis ;

87 tandem proripuit sese, et ruit invia longe
88 saxa per et vastos, qua metus egit, agros.
89 Haud aliter feror exanimis ; jam frigora Rheni
90 desero, jam rapidas, quas agit Iser, aquas :
91 Vindelicosque procul populos, et Norica castra,
92 nunc quibus in terris victor Ibere furis,
93 hinc gelidi immanes Batavorum litoris oras,
94 inde fub Arctoo pervagor axe Getas.
95 Nec minus incompto flavescentes crine Suevos,
96 quasque colit dura Sarmata sorte nives.
97 Sic per mille vagus repeto discrimina tandem
98 indigenasque deos, Austrasiumque larem.
99 Excipit, et multo reducem dignatur honore
100 Carolus antiquis regibus ortus avis.
101 Consiliis adhibet fidum, utque arcana tabellis
102 committam ex ipso principis ore facit.
103 Virginis interea correptus amore Dianae
104 uror, eamque tori foedere jungit hymen.
105 Bis novies igni Phoebe compleverat orbem,
106 fit mihi te exorto nate Diana parens.
107 Dum parit infando differtur victa dolore,
108 sed tamen invita te parit illa Dea.
109 Inde bis undecies albenti lucidus aethra
110 egerat eos ordine Phoebus equos,
111 ecce puella (nefas) odiis Junonis iniquae
112 deficit, et viduo deseror ipse toro.
113 Vox miserae fugit, et dum faucibus haeret apertis,
114 ut jam quo poterat diceret ore, "Vale",
115 colla viri solitis extremum amplexa lacertis,
116 oscula pallenti frigida morte dedit.
117 Teque puer, causam lacrimis et pignus amori,
118 solamenque manu protulit, inde perit.
119 Hoc ego quid casu vidi crudelius ? Aut quid
120 moliri indignum Dii potuere magis ?
121 Scilicet exitium tandem hoc immane parabant
122 nondum fata meis exsaturata malis.
123 Jamque tot ac tantis oblata laboribus, et jam
124 parta quies, horae tempore pulsa fugit.
125 Non aliter portentata manu qui nota subegit,
126 cui gravis horrendo concidit hydra lacu,
127 tandem ipsa saevos evicit morte dolores,
128 et fera Junonis corda, deumque minas.
129 Te quoque si qua puer (quippe est obnoxia cunctis
130 sors humana malis) fata sinistra manent,
131 tu patris exemplo dura, dumque aspera vasto
132 se feret in te fors impete, dumque premet,
133 sit comes, et contra valido certamine, virtus
134 nescia fortunae cedere, semper eat.
135 O tamen interea melioribus utere fatis.
136 O habeant faciles haec mea vota deos.
137 Cresce, et firma suis adolescat mensibus aetas.
138 Haereat antiquae pectore gentis honos.
139 Sit pietas, et cura deum suprema colendi
140 numina, sit nullo tempore lapsa fides,
141 et studium vigil, et mens aemula laudis avorum,
142 jam quibus ingenui dinumerantur avi.

143 Hos tibi si mores animus non deneger umquam
 144 afferet, hic vitae si superabit honos,
 145 vitam oro, virtutem ex me te nosse tuorum
 146 fas erit, et patrii nominis omne decus.
 147 Sin infanda malis astrum natale minatur
 148 auspiciis, ullum si tibi Parca nefas,
 149 si vitiis animum mollit natura labantem,
 150 et vile ignavo torpet amore jecur,
 151 nunc nunc atra dies exsortem lucis et aurae
 152 te puer, in primo limine, morte premat,
 153 nunc alta obscuram sub nocte sequare parentem,
 154 et simul a patrio diripiare sinu,
 155 dum cor labe carens, animus dum criminis insons,
 156 spes dum incerta meum curaque pectus agunt.
 157 Sed neque portendit sanguis tam dira tuorum,
 158 nec laetus tenero qui nitet ore decor.
 159 Ante autem caelo fugientem abrumpere vitam
 160 si mihi supremo fata dolore parant,
 161 quam ferre ingenio possis majora capaci,
 162 et pulchrae sedeat pectore laudis amor,
 163 haec tibi, quae serves, moriens exempla relinquo.
 164 Haec, puer, ipsa tui sint monumenta patris.

DE CAEDE IOANNIS SEQUANORUM DUCIS.

C_6 v.1 Audiit indignis ut gens Aurelia clarum
 2 funeribus cecidisse ducem, patriasque per urbes
 3 Burgundum infanda sceleratas ferre tyrannum
 4 caede manus, animisque ferum exsultare superbis,
 5 turba sacras passim maestissima fertur ad aras
 6 supplicibus magnum votis onerasse tonantem :
 7 "Rex hominum, divumque pater, cui digna Sabaeo
 8 munera thure calent, meritique adolentur honores,
 9 aspicias haec ? An sors animis humana Deorum
 10 non sedet, et superis haud observata vagatur ?
 11 Advena, quem tellus exceptum Aurelia passo
 12 fovit laeta sinu, quem dudum Aurelius aequis
 13 dux animis, in regna ducem fraterna recepit,
 14 perfidus incautum ferro superavit. Et atra
 15 hospitis (infandum) victor nece, facta per urbes
 16 efferata nunc jactat patrias, plebs undique circum
 17 suspicit insonti rorantem sanguine dextram.
 18 Nos tua quippe sacris pater ad delubra frequentes
 19 libamus pia dona focus, horrendaque late
 20 opprimit insanae miseros injuria caedis.
 21 Talia fundebat manibus projecta supinis
 22 gens aras circum, et tristes dabat ore querelas.
 23 Audiit orantem caeli quam summus ab arce
 24 Juppiter, et Maia genitum jubet aethere labi,
 25 ut faciles heroum animos ad pacis amorem
 26 vertat, et exiguas ad Jonae deligat undas
 27 inde locum, sperent jungi quo foedera ponte.
 28 Utque angues impexam imis educat Avernis
 29 Tisiphonem, medio ipsa ducum stans agmine dira
 30 transadigat ferro confossum vindice pectus.

31 Quique necem intulerit patruo quem luget inultum.
32 Regius hunc stricto videat puer ense cadentem.
33 Jusserat : ille altum paribus secat aera pennis,
34 fertque manu virgam teretem, et jam Gallica longe
35 arva tenet, patris hic magni praecepta facessit.
36 Nec minus, effundit primos ubi Sequana fontes,
37 jussa Deum exsequitur, ponuntque ferocia fracti
38 corda duces, pacemque animis et foedera versant.
39 Per tristem inde volans alte Cyllenius Orcum,
40 Tartareum Phlegetonta petit, ripasque sonantes.
41 Constitit ardentem rapidi citus amnis ad undam,
42 vestibuloque sedentem insomni lumine diram
43 talibus aggreditur dictis : "I, corripe ferrum
44 ferrea, et Aureli caedem ducis ultra nefandam,
45 dede neci necis auctorem. Sic ille Deum Rex
46 imperat, haud plura his : fugit illaetabile regnum
47 Ditis, et ad superas Cyllenius evolat auras.
48 At fera Tisiphone tortis incincta colubris
49 jussa parat, vastumque Chaos, manesque relinquit.
50 Est locus extremis Senonum in confinibus, amnem
51 qua sinuat, mixtumque suis confundit Ionam
52 Sequana laetus aquis, et apertum ducit in aequor.
53 Urbem affusa rigant uno duo flumina motu
54 monstriolum : porta egressos pons accipit, unde
55 trans fluvium ad dextram campis emittit apertis.
56 Hunc super exstructae campoque et moenibus omnem
57 praeclusere trabes aditum, tabulaeque salignae,
58 quo tandem hinc atque hinc ut convenere, nitenti
59 Regius ore puer gradiens, et Sequanus heros,
60 septo intromittunt bisquinos partibus aequis
61 ponte viros, sed enim lectis ex omnibus, uni
62 Tanguido placidum per languida membra soporem
63 intulerat ducta proles Cyllenia virga,
64 sopitumque super cupressiferam Cyllenen
65 lenibat somno. Rigidis acerrimus armis
66 hic erat, huic clarum patrio de nomine nomen
67 Castellana domus dederat, generisque superbum
68 insigne, et laeva clipeum gestare sonantem.
69 Hujus Tisiphone vocemque, et corpus, et ora
70 induit, assimilaturque virum, et se protinus infert
71 per medios, graditurque frementi incognita turbae.
72 Jamque adeo ingressi proceres, jam plurima sectis
73 occulti abietibus vario sermone serebant.
74 At capulum ex auro gladii tum forte sinistra
75 Sequanus, improvisa ruens in fata, premebat.
76 Illum Tisiphone formaque habituque virili
77 torvum saeva tuens : "Tune hic insane, quid audes ?
78 Rege satum Delphina paras invadere ferro ? "
79 Dixit, et ultrici correptum sustulit ensem
80 dira manu, totumque adversa in pectora condit.
81 Nec mora se ex oculis aufert, Erebique sub umbras
82 labitur, ac sedes horrenda revisit Avernas.
83 Corruit ille gemens, versaturque extrema natantes
84 nox oculos. Tum caede et pons, et longa sub alto
85 publica ponte rubet, fusum vehit unda cruorem,
86 vita fugit, frigusque exsanguis occupat artus.

AD IANUM LOTHARINGUM CARDINALEM AMPLISSIMUM.

C_7 v.1 Quae mihi sunt Musae comites, longumque vaganti
 2 quae fallit dulci carmine Pallas iter,
 3 quique suis nondum radiis vada caerulea solvit
 4 Delius, astricto continuata gelu.
 5 At favet, et claro nitidus me spectat Olympo,
 6 dum Phaetontaeos acrius urget equos.
 7 Hi salvere novis cupiunt te mensibus anni,
 8 quem Tyrio insignis murice velat honos.
 9 Hinc diis si qua fides, si vera oracula Phoebi,
 10 laudibus est ingens gloria parta tuis.
 11 Te manet, o caelo praesul dignissime, munus
 12 in terra aetherei pontificale Jovis.
 13 Hoc obeas, subsintque tuae mortalia curae
 14 altius, auspiciis laeta futura tuis,
 15 laeta diu terris fervent te saecula, caelum
 16 donec inexstincto lumine sidus ames.

DE PANAGIO HOCEDIO LEUCORUM ANTISTITE DIGNISSIMO.

C_8 v.1 Vix clarus nitido Lucifer aethere
 2 surgebat, gelidae noctis ad exitum,
 3 qua nox ante fuit nulla serenior
 4 anni frigoribus novi.
 5 Ales voce vocans excubitor diem,
 6 vicino agricolae de lare pauperis,
 7 presso rursus ovans ingeminaverat
 8 cantus gutture sedulos.
 9 Sensim pulsa novo sidera lumini
 10 cedebant, et equis plaustra sequentia
 11olvebat senior proxima caeruleae
 12 auriga in freta Tethyos.
 13 Hoc me noctis adhuc tempore Delia,
 14 mox tinctura suas Oceano rotas,
 15 spectabat vacuum, dum vagor asperis
 16 rupis saltibus arduae.
 17 Ecce alto graditur vertice filia
 18 summi cara Jovis Pallas, et altius
 19 cinctum effert oleae fronde nova caput.
 20 Cui Musae latus occupant,
 21 Musae Pierides, Pieridum chorus
 22 Musarum : his hederæ per varios sinus,
 23 doctarum decus et praemia frontium
 24 nexas impediunt comas.
 25 Consedere jugis, nec mora longior,
 26 Aurora Aoniis laeta sororibus
 27 addit se sociam, cui rosea Deae
 28 clarum fronte nitet decus.
 29 Quas inter medius Jane bifrons tuo
 30 stas mense. Hic aliis una silentibus,
 31 Lesboum feriens pollice barbiton,
 32 sic coepit Polyhymnia :

33 "Non caelum aut superos, altave sidera
 34 cantu mens agitat dicere, nec feris
 35 Mota in caelicolas bella gigantibus.
 36 Ictumque igne Typhoea.
 37 Non ut pulsa metu numina ceperit
 38 Aegyptus, tacitum dum Venus induit
 39 piscem tunc niveo cum latuit Jovis
 40 conjux tergore buculae.
 41 At te noster amor disparibus modis
 42 hocedi canimus, quem Rhea Naias
 43 ad pronum liquidi fluminis alveum
 44 Scaldae progenuit suo.
 45 Te molli puerum gramine Naiades
 46 nascentem, et viridi compositum toro
 47 dum visunt, tenera tota cohors manu
 48 lentam gestat arundinem.
 49 Viserunt Dryades, grataque junceis
 50 portarunt calathis dona, coloribus
 51 diversis violas, balsama cum thymo,
 52 et flores hyacinthinos.
 53 Portavere sui perditum amoribus
 54 narcissum, et viridem semper amaracum.
 55 Teque, o quem Veneri trux aper abstulit,
 56 et stratum ingemuit Venus.
 57 Florentem cytisum, candida lilia,
 58 et cum puniceis poma simul rosis,
 59 necnon montivagae lac tepidum caprae
 60 donant munus Oreades.
 61 Pressos Nympha tulit Callirhoe gradus,
 62 qua blando saliens murmure defluit
 63 rivus fonte sacro, nuda genu, pedes,
 64 os, crines, humeros, sinus.
 65 At pubem viridi tecta supervenit
 66 musco, tum placidos voce refert sonos.
 67 Phoebo vive, puer, vive Sororibus
 68 pulchri gratus Apollinis.
 69 Tantum effata, levi contigit osculo
 70 infantem, et retulit qua tulerat gradus,
 71 hae montes repetunt, hae gelidum nemus,
 72 amnes Naiadum chorus.
 73 Hinc te Scalda pater, te genitrix Rhea
 74 amissum doluit, dum celeri pede
 75 in montes puerum duximus Aonas,
 76 fontisque ad vada Pegasi.
 77 Te nostras Helicon delicias sonat,
 78 Parnassusque biceps, et sacer Ismarus,
 79 queis incisa tenent montibus arborum
 80 scabri carmina cortices.
 81 Hos excelsa tua versiculos manu
 82 inscriptos tenero Pinus habet libro :
 83 "Matri arbor superum sum sacra : qui legis
 84 laevo tange solum genu."
 85 Corpus tendit agens Pinus in aera
 86 crescendo Zephyri cui quatiunt comas.
 87 Et celata levi littera cortice
 88 crescit ductaque tenditur.

89 Pendentem citharam de Jovis arbore
 90 gratae aerae feriunt, et tenui sono
 91 implent hanc Erato cum tibi traderet,
 92 "Nostrum munus, ait, chori,
 93 nostrum munus habe, quod prius Orpheo
 94 hoc ipso dedimus Pierides loco,
 95 mulcentem his fidibus vidimus Orpheia
 96 divos, saxa, nemus, feras.
 97 Illa, docta frequens, dum redis Aonas
 98 in montes, cithara carmina personas.
 99 Cantantem pariter saepe sab ardua
 100 circum sedimus ilice.
 101 At te magna Pales forte videns agris
 102 errantem Austrasiis, admonuit, manu
 103 mulcens, arva sequi, laetaque pabula.
 104 Nunc pratis dea detinet.
 105 Nunc Pan Arcadiis exsiliens jugis
 106 tecum inflat calamos ; lanigeras ubi
 107 de saxo pecudes, in viridi procul
 108 pastor gramine conspicis.
 109 Illic flavus aquis undique fertiles
 110 ambit Mosa toros, quaeque lubens rigat,
 111 tam crebro sinuans flumina vortice,
 112 invitus loca deserit.
 113 Raucum hic interea murmurat, ut scias
 114 quam te, donec ades, gaudeat hospite,
 115 et longe calamis amnis agrestibus
 116 respondens, placidus fluit.
 117 Respondent salices amnicolae, nemus,
 118 et qua herba tenerum luxuriat pecus,
 119 rupes, quaeque suis, dum queritur, sonis
 120 echo saxa repercutit.
 121 Te pascente tuas, prata virent, oves.
 122 Si vero Austrasia pabula deseras,
 123 et Pan Austrasiae pabula deserat,
 124 maestos ipsa Pales agros.
 125 Sed nec Mosa suas quam solet ubere
 126 urna fundat aquas ; at liquidum sacro
 127 abdat fonte caput, nec vada gramini,
 128 nec potum pecori ferat.
 129 Nunc te virgineas mons Helicon gemit
 130 absentem. Redeas : hic mora sit brevis.
 131 Nec Pan Maenalius te, neque gratior
 132 nobis invideat Pales.
 133 Horum sit liceat, sit simul et gregis
 134 felix cura tibi ; sed neque montibus
 135 te nostris pigeat ferre frequentius
 136 alternos reducem pedes.
 137 Si quicquam (memori mente nec excidit)
 138 nostrum dulce fuit, post calamos leves,
 139 pendentem citharam sume, simul cane
 140 sub grata Jovis arbore.
 141 Sic dum prata coles, molle tuum pecus
 142 necc turbes podagras, nec scabiem ferat.
 143 Sic te Phoebus amet, qui modo laurea
 144 claram cinctus adest comam.

145 Et te Phoebus amat, quemque novum citis
 146 annum orditur equis, hunc tibi ducere
 147 felicem properat, datque bifrons Deus
 148 laetul laetior exigas."
 149 Haec Musa, ut tacuit sic Polyhymnia
 150 sublimem rapitur Pallas in aera,
 151 quam Janus sequitur, Pieridum chorus
 152 per densum graditur nemus.

AD CAROLUM LOTHARINGUM CARDINALEM AMPLISS. DE SAMMELIANO AGELLO SUO.

C_9 v.1 O prima nostri gloria saeculi,
 2 stirps alta Regum, Carobe, qui procul
 3 incedis inter purpuratos
 4 conspicuus gravitate patres.
 5 Si forte nostros aut juvat, aut cupis
 6 audire lusus, et quid in arduis
 7 lucis, et umbris, et remotis
 8 assiduum remoretur antris.
 9 Me blanda curis hic gravioribus
 10 nox expeditum mulcet, et aureo
 11 cum jungit ortu sol quadrigas,
 12 luce nova recreantur artus.
 13 Meque inter altas lutea devium
 14 aurora silvas aspicit : hinc levis
 15 obmurmuranti fons susurro
 16 Sammeliana fatigat arva.
 17 Circum frequentes cum satyris chori
 18 nympharum, et herbis grata virentibus
 19 per strata projectae, canoris
 20 dulce sonant fidibus Camenae.
 21 Illic reducto singula pollice
 22 ad verba nervos dum ferit impares
 23 Clio, humidus rivi per agros
 24 continuit fugientis undam.
 25 Frondosa celsas ecce cacumina
 26 motare quercus, Panaque cum feris,
 27 et corpus alterno videres
 28 in numerum pede ferre Faunos.
 29 Cantat, beato Gallia principe
 30 ut floruisset, laetaque collibus
 31 ut vina nec Liber negasset,
 32 nec segetem Dea flava campis.
 33 Undosa maestis flumina Sequanae
 34 dein voce pandit, teque uti funere
 35 Rex magne Gallorum Valesi
 36 merserit atra dies acerbo.
 37 Ut te cadentem lucus, et arduae
 38 rupes, et amnes, fons quoque fleverit
 39 Bellensis, et quae illic refulsit
 40 barbarico domus omnis auro.
 41 Ut quae nivali signa ducum prius
 42 candore, et albis lilia floribus
 43 explenduissent, jam profundo
 44 atra gemant stupeantque luctu.

45 Janum inde summis regibus editum
 46 heroa, claro qui modo murice
 47 incessit insignis, nigrantem
 48 funereo queritur dolore,
 49 curas dolenti mente sed altius
 50 persentientem, funus ob ultimum
 51 et Regis, et sacrae parentis
 52 Austrasio tumulo sepultae.
 53 Nymphasque passis crinibus hinc canit
 54 dilecta Phoebos laurus Apollini
 55 pallentis ut vultu colorem
 56 induerit miseranda buxi,
 57 laurus triumphis triplicis immemor.
 58 Et lenta, pignus nobile, cesserit
 59 ut palma ferali cupresso,
 60 atque hederæ viduæ corymbis.
 61 Tum quos amico cumque parens sinu
 62 fecunda vates Gallia foverit
 63 solatur, horrendo per orbem
 64 attonitos profugosque fato.
 65 Te Sangelasi Pieridum gravis
 66 ardor sororum, te nimio dolet
 67 maerore confectum, nec illa
 68 qua solitus cithara sonantem.
 69 Luges parentem finibus omnibus
 70 Aureliorum cum duce filio
 71 desideratum ; sed levatur
 72 Regis amore dolor secundi.
 73 Maerente caram Salmonius lyra
 74 deflet Gelonin, qualis inania
 75 per regna, dulci Orpheus Avernas
 76 ore movet miserandus umbras.
 77 Felicem amico funere tum canit
 78 Clio Marotum, quem neque tam feras
 79 vidisse mortes sors tulisset,
 80 nec patriæ superesse cladi,
 81 nec longiores exilio metus
 82 aegros et urbes qua Padus alluit,
 83 perferre. Velox hunc avaro
 84 ante diem tulit hora fato.
 85 His addit atro portitor ut Charon
 86 vectasset illum flumine, cymbaque
 87 et nauta, et undæ constitissent
 88 vate novas feriente chordas.
 89 At me futuri præscia Pieris
 90 casus manentes ordine disserit,
 91 jamque imminentes immoranti
 92 collibus Austrasiæ supinis.
 93 Restare longis inde laboribus
 94 prætentata vastis æquora Syrtibus,
 95 fluctusque prædicit furentes,
 96 et laceras aquilone puppes.
 97 Dein et nivosis Alpibus ardua
 98 tentanda cursu commemorat juga,
 99 Tibrimque Romanum, Padumque,
 100 et placidas Anienis undas,

101 aequoraque longe Parthenopeium,
 102 et litus alto Trinacriae mari
 103 pulsatum, et horrendam Charybdim,
 104 Illyricique fretum profundi,
 105 et concitata Danubium fuga
 106 qui solis ortus tendit ad aureos,
 107 Rhenum bicornim, et tot dolori
 108 condolitura meo fluenta.
 109 Fleturum acerbo me super omnia
 110 Janum cadentem funere nuntiat,
 111 et saxa cum silvis, et arva
 112 insolito gemitura planctu,
 113 implenda maestis omnia questubus
 114 quos aeger alto pectore fuderim,
 115 nec lumina (infandum) profuso
 116 nostra modum positura fletu.
 117 Te magne princeps Carole, te mihi
 118 tandem adfuturum Musa serenior
 119 promittit, altum si valeret
 120 longa levare dies dolorem.
 121 Te missum Olympo dulce sororibus
 122 solamen ipsis, praesidium, decus :
 123 fautore passim te canora
 124 laeta sonanda lyra poetis.
 125 Jam terra passo me fovet haec sinu
 126 exercitatum finibus exteris
 127 orbis pererratis ; tenentque
 128 Austrasii reducem Penates.
 129 Jam jam quieto pectore laetior
 130 promissa divae comperio rata.
 131 Urgente jam cura solutam
 132 spe reficis meliore mentem.
 133 O vive felix, optime principum :
 134 te fata servent incolumem, cui
 135 semper Camenarum patrono
 136 dulce canat mea Musa carmen.

AD CAROLUM LOTHARINGUM CARDINALEM AMPLISSIMUM.

C_10 v.1 Alta per undosum patriis a finibus aequor,
 2 Carole, dum peteres antiquae moenia Romae,
 3 fama prior quassas hiemem vicisse triremes
 4 venerat, et valido disjectam turbine cladem,
 5 te procul insanis abreptum fluctibus, inter
 6 spumantes scopulos, inter vada caeca, vel alto
 7 submersum, et gravibus perpessum extrema procellis
 8 quo labefacta metu lacrimas effudit inanes
 9 Gallia, et infandum gemitu testata dolorem
 10 impulit heu maestis ferventes questubus auras.
 11 Verior at nostris ubi nuntius attulit oris
 12 fluctibus ereptam pubem, et tabentia curvo
 13 corpora servatos posuisse in litore nautas,
 14 solverunt gratiae pro natis debita matres
 15 vota Deum templis, et odoro ture calentes
 16 Aeternumque sacris adolerunt ignibus aras.

17 Dona tulit populus, neque divum altaribus ullis
18 defuit offerret purus qui liba sacerdos.
19 Nec metus interea sese tamen omnis ademit
20 sensibus ; auditis horror quatit ossa periclis
21 quae terra superanda manent, Alpina relicto
22 dum juga confestim petis aequore, et impiger omnem
23 ferre per Italiam properas a litore gressus.
24 Omnia confusi late loca plena timoris
25 quippe fremunt, acerque vias obsedit Iberus.
26 Bella ciet, parat insidias, horrenda minatur,
27 saevus et hostili praedas agit agmine Mavors.
28 Sed tandem ingenti virtutum et laudis amore
29 fidentem et spretis armorum incursibus, inter
30 tot caedes, et iniqua virum certamina laeti
31 incolumem, gratumque urbe excepere Quirites.
32 Praecipue multo venientem amplexus honore
33 Paulus, ad alta patrum senior penetralia duxit.
34 Hic pater assiduos orbis componere motus
35 dum parat, humanae miserans incommoda sortis ;
36 tuque, nec incoepto piger indulgere labori,
37 quem frustra gelidi Morinorum ad litoris oras
38 effusum duxere Atrebas hospesque Britannus,
39 plurima firmanda tecum de pace loquuti,
40 nec mandatorum qua Rex tibi cumque dedisset
41 immemor, immani rerum de mole tuenda
42 egistis simul. Atque animis daem publica curae
43 altius, aequa Deum versastis numine tacti
44 quae gemini tandem coeant in foedera Reges,
45 quo pietas, et cana fides, et prisca colatur
46 religio, rectoque animi nitatur honestum.
47 Hoc studio postquam digestis ordine rebus
48 discessumque paras, Italosque relinquere fines,
49 dat grata suprema manu longaevus ab aris
50 atque adyto divum penetrali munera vates,
51 munera, tutamenque viae, certumque salutis
52 praesidium, casu numquam temeranda minaci.
53 Sic pius Aeneas, post igni diruta Graio
54 Pergama, et infandam Trojano sanguine cladem,
55 dum vehit Iliacos instructa classe Penates,
56 per varios longe casus, per tela, per hostes
57 Aeolicos, per tot rerum discrimina, victor
58 regna suis tandem superavit debita fatis.
59 Hinc igitur patrio dum Gallica redditus orbi
60 rura tenes, alacri testantur gaudia vultu
61 et primi procerum, et populus, natisque receptis
62 sollicitae maestum matres posuere timorem.
63 Ipse sed ante alios reducem gratatur amicum
64 Erricus ; positas aequo Rex foedere leges
65 cognoscitque lubens, et te has auctore repertas
66 ipse probat, quam si pacem ferus abnuat hostis,
67 mortiferumque manu malit producere bellum,
68 scilicet Hesperiae gentes opibusque paratas
69 atque animis, ipsosque Duces ex ordine junctos
70 auxilio, quibus ampla omni ditione tenentur
71 per quae altum sese Padus ostia volvit in aequor.
72 Nec longum imperio tempus superesse ruenti

73 Caesaris, a primis olim quod possidet annis.
74 Ille Deum fatis exterritus, omnia postquam
75 consilia absumpsit : "Quibus, heu, quibus, inquit, inultum
76 usque premis fortuna malis ? Quot saeva nefandos
77 accumulas casus ? Duris quot cladibus urges
78 victorem quondam, et raptis ex hoste superbum
79 tot spoliis ? Atrone juvat me funere vinci ?
80 Vincar, et o nostri superentur morte dolores.
81 Ne toties victor, toties jam victus ab hoste
82 auferar, et miseranda jugo dem colla prementi,
83 captivumque trahat juvenis victoria Galli.
84 Heu caput undanti ferior sublime procella.
85 Aethera jam taedet liquidum, lucemque tueri.
86 Nam quid bella gero demens ? Aut quid moror ultra ?
87 An mea, quae superant populatis oppida terris
88 destruat indomitus Celta ? Aut qui nuper ad altum
89 Guisius, obsessa dum cingitur urbe Mosellam,
90 rursus et ad Morinos, acies delevit Iberas,
91 Germanamque manum, me vertere terga coegit,
92 vinctum ducat ovans ? Et plebi ostendet inermem ?
93 Carolus interea frater, quem plurima jactat
94 Austrasia, Hesperias in me exitiumque meorum
95 conciliet gentes ? Quo Rex hortante, vel asper
96 saeviat, aut manicas levet aequior, artaque vincla ?
97 Saltem si tanti surgat mihi sanguinis ultor
98 filius, et veteres animis exerceat iras,
99 qui ferat haec atro cineri suprema parentis
100 munera, quique meos perfundat sanguine manes,
101 non hoc sit penitus fatum solaminis experts.
102 Sed minor ingenii nato vis ipsa, neque illum,
103 ut velit, et juveni virtus animique supersint,
104 impacata queat perferre Britannia regem.
105 At conjuratae deducant signa cohortes,
106 proeliaque avertant civilibus extera bellis,
107 attonitum quando hic urget metus : omnia fundo
108 ne late ex imo in praeceps disjecta ferantur.
109 Quando mens aversa Deum, clademque minantes
110 tempora sic annis volvunt fatalia Parcae :
111 i, nate, et meme atque tuum sub pacis iniquae
112 trade caput leges. Ego, dum suprema dolentem
113 nox et fata ferant, dumque haec indigna parantur,
114 fortunae melius caedam." Nec plura loquutus
115 ex oculis aeger se prorsum avertit, et intra
116 saepta latens, rerum nato commisit habenas.
117 "Ergo nostra tuo, Praesul, vix munere tandem
118 saecula compositos belli videre tumultus.
119 Martem intermissum vacui laetamur, et altam
120 fessa damus, terrore procul, per membra quietem.
121 Cantamusque tuae meritos virtutis honores.
122 Interea dubii dum teque, tuumque nepotem,
123 magnanimi generum Regis, cui subdita paret
124 terra suo Lotharinga Duci, salvumque precatur,
125 venturos patrias olim speramus ad urbes,
126 effice ne cupidos fallat spes vana, ferantque
127 vota leves, quae Diis populus canit, irrita venti,
128 neu templis indictus honos arisque Deorum,

129 festave tollantur, Tyrrio vel murice claros
130 purpurea incassum sternant aulaea penates."

DE MARTE ET VENERE CUPIDINIS TELO VULNERATIS.

C_11 v.1 Mars curru vacuum pervolat aera.
2 Fert velox tenerum penna Cupidinem.
3 Uno forte loco, dum simul advolant,
4 sederunt duo numina.
5 Mars belli decus, et gloria militum,
6 ferrum laetiferae cuspidis extulit.
7 Parva lenta manu cornua fert Amor,
8 ornatur pharetra latus.
9 Frontem Mars nitida casside liberat.
10 Velo tectus amor lumina detegit.
11 Armis ille fuit cetera lucidus,
12 hic nudis stetit artubus.
13 Mavors axe ferox quadrijugo sedens
14 os frontemque simul contrahit horridam,
15 infantemque deum, sed nimium potens
16 numen, talibus increpat :
17 "Linque haec arma viris fortia fortibus,
18 o lascive puer, non bene grandia
19 imbelles digiti pondera sustinent,
20 auro splendida cornua.
21 Nos nostrosque decent fortia milites,
22 bello et sanguineis caedibus aptior,
23 praedaque et spoliis quae pharetra est tuo
24 gestamen lateri grave.
25 Fas horrenda suis tollere laudibus
26 quae victrice manu proelia gessimus,
27 Tu tantum usta tuo (quae tua gloria)
28 igni pectora concinis.
29 Ergo nec jaculis utere, nec gravem
30 arcum laeva gerat, sed tepidis tuas
31 inflammare faces cura sit ignibus
32 totus sis in amoribus."
33 Haec jactans tumido pectore bellicus
34 Mavors, tanta dei numina despicit.
35 Huic blande teneris impavidus puer
36 subridens oculis ait :
37 "Vis est nostra tua vi violentior,
38 quamquam sanguinea est, sanguinolente Mars.
39 Laedunt nostra deum fortia pectora
40 certo spicula vulnere.
41 Tu mortale genus (nec potes amplius)
42 ferro armisque domas, ocius at tuum
43 haud vitata feret vulnera, saucium
44 nostra pectus arundine.
45 Si nostra est igitur tanta potentia
46 nobis ut superum numina pareant,
47 tu quanto minor est sors hominum deo,
48 tantum cede Cupidini."
49 Nondum finierat cum volat emicans
50 e nervo jaculum cuspidis aureae,

51 trajecit rigidum missa sagitta cor,
 52 cor vinci prius inscium.
 53 De centum calamis sepositum deus
 54 hunc unum valido conjicit impetu,
 55 arcus qui patulos audiat, et queat
 56 vallum reddere pervium.
 57 Mars alto doluit vulnere saucius,
 58 quod telum nimiis viribus arteque
 59 contortum dederat, tantaque vis fuit,
 60 fixum pectore non stetit.
 61 Altum findit iter penna volatilis,
 62 et saeva Venerem figit arundine.
 63 Divae purpureas (heu miserum) genas
 64 amisit roseus color.
 65 O crudele nefas, o genus impium,
 66 sicne, ingrata puer, sanguine dexteram
 67 materno sceleras, et cor amabile
 68 teli cuspide vulneras ?
 69 Hoc demum reperit Martia vis loco
 70 victorem, nec Amor quo sua pignora
 71 ardet cara parens, pectore depulit
 72 telum missile filii.
 73 At felix jaculum est quod duo pectora
 74 missum uno pariter figit acumine.
 75 Sic lascivus Amor numina mutuis
 76 inflammavit amoribus.
 77 Sic ictu validae cuspidis unico
 78 invictumque deum vicit, et attigit
 79 matris cor tenerum : quanta sit ut scias
 80 vis, numenque Cupidinis.

DE FRANCISCO VALESIO REGE RHODANUM TRANSEUNTE.

C_12 v.1 Magnanimum rapida Rhodanus Regem excipit unda,
 2 parva sub ingenii pondere cymba gemit ;
 3 nec sufferre valens fluvio foret obruta toto,
 4 ni subita Divum fulta fuisset ope.
 5 Venit ad hanc Rhodanus, liquidae venere sorores,
 6 et placidas puppi supposuere manus.
 7 Hanc simul ad ripam vastum duxere per amnem,
 8 tota tremens rigidas illa secabat aquas.
 9 Nec mirum si tota tremit, nam sustinet unum
 10 qui valet innumeris millibus una ratis.

AD IANUM THIERIUM, CHRISTIANISS. REGIS HENRICI A SECRETIS.

C_13 v.1 Omnia ab aetherea qui dat Pater optimus arce,
 2 quique jubet clarum te decus esse tuis,
 3 annuat ille precor Jani tibi Jane calendis,
 4 (nec vanum hoc primis mensibus omen eat)
 5 ut Rex, ut proceres, quorum tua gaudet amore
 6 virtus, ipsa ut te Gallia semper amet.
 7 Illum o publica res sic experiare fidelem,
 8 ut premitur falso crimine nostra fides.

AD MELLINUM SANGELASIIUM.

C_14 v.1 Qui, Melline, sua cinxit tua tempora lauro,
 2 teque, nitens claro numine, Phoebus amat,
 3 hunc tibi quem radiis late effulgentibus annum
 4 aggreditur, laetum laetior esse velit.

AD HUGONEM SALELLIUM ILIADA GALLICE SCRIBENTEM

C_15 v.1 Nec mihi dux Pallas, nec qui vix aequore vultum
 2 extulit, et claro Cynthius ore nitet,
 3 nec mihi sint Musae comites ; Helicon Thalia
 4 deneget, et sacras fons Heliconis aquas.
 5 Ipse bifrons Janus geminam sub tempora frontem
 6 contrahat, et mensi nolit adesse suo.
 7 Si tibi, qui motu astrorum novus incipit, annum
 8 felicem auspiciis non precer esse bonis.
 9 Hic tibi laetus eat : nostris ea numina votis
 10 nec desint, quorum te sibi junxit amor.
 11 Dent precor illa, tuo traductam ut magna labore
 12 Iliada aeternum Gallia servet opus.

AD CLAUDIUM ROBERTUM.

C_16 v.1 Si mihi (dum tonso notus tibi vertice fungus,
 2 ruffo, qui fuperest aures cingente capillo,
 3 jus habet indignum in miseros) hoc linquat iniqui
 4 tantum, Claudi, urgens injuria temporis, aegram
 5 ut lenire novo mentem solamine possim,
 6 fortunamque animus ferat aequior, hic ubi longis
 7 suspiro absentem lugens heroa querelis ;
 8 si mora, si requies alto foret ultra dolori,
 9 et fruerer Musis et amoeno fonte Caballi.
 10 Haec ego dum tacitus meditor, te pauca monere
 11 hic adeo visum est : sic hortor ut auspice Jano
 12 imponas curaeque modum, nimioque labori.
 13 Sit membris alterna quies, alterna sit ipsi
 14 pax animo ; nec te, quibus omnes exigis horas,
 15 seu Deus intendat fulmen, rigidive procellas
 16 ingeminant austri, seu splendeat aethere Phoebus,
 17 detineant opera assiduum. Ne sperne monentem.
 18 Hos monitus quamvis admittere nescius, exsul
 19 maeream, et insomnes agitent mea pectora curae.
 20 Cotis agam partes, quae nec secat ipsa, valetque
 21 ferrum obtusa rigens, et acutam reddere falcem.
 22 An, quibus exeso numerandas tergore costas
 23 promentes, ipsasque imo sub pectore fibras
 24 exercentur equi, perstes incumbere poenis ?
 25 Et labor haud ullas intermittatur in horas ?
 26 Sic miser intendas animum, studioque moreris,
 27 ut qui pensa trahens ad apertae licia telae
 28 pervigilat parva noctesque diesque taberna ?

29 Aut obscura velut claudus prope limina sutor
 30 qui sedet, ac vili dentes in pelle fatigat ?
 31 Supplicium hoc nostro, quicumque est, imprecor hosti
 32 auspiciis anni gravioribus : omine laeto
 33 tu felix, sive semper equus juga tristia colla
 34 portet, et incurvo bos impediatur aratro.

AD GEORGIUM PATRICIUM.

C_17 v.1 Omine felici, Jano bifronte calendas,
 2 multa fero multis, aggrediente suas.
 3 Hoc tibi quod superos votis precor omnibus unum est,
 4 dent, quod es, hoc solum semper ut esse velis :
 5 mens eadem nulla commota cupidine, laetos
 6 perstet continua ducere sorte dies,
 7 utque facis, tua rura colas, patriosque penates,
 8 otiaque, et Musas, ingenuumque larem ;
 9 nec moveant aurae populi, nec tangat inani
 10 quae strepitu vanos allicit aula duces.
 11 Invidiam trahit aula gravem, quae vindice nulla
 12 exsultat summis invigilatque malis.
 13 Illa meam (miserae sic sors tulit improba vitae)
 14 insimulat nullo, perfida jure fidem.
 15 Immeritum fortuna premit ; tu sperne quietus
 16 fortunaeque acres invidiaeque minas.
 17 Sic segura quies, altum dormire tumultus
 18 nec vetet, aut pacis turba moretur iter.
 19 Illud habe : verum hortari quid multa necesse est ?
 20 Hoc quo te dono munere munus habes.

AD P. RONSARDUM, ET IO. BELLAIUM POETAS.

C_18 v.1 Mirabar quid Phoebus equos tam mane recentes
 2 jungeret, et toto lucidus orbe foret.
 3 Formosam hic spectat Clio, Cliusque sorores,
 4 et quos aeterno tollit honore chorus.
 5 Te magnum Ronsarde refers qui Pindaron, et te
 6 Bellai, coetus gloria Pieridum.
 7 Vos radiis, oculisque Deus, quibus omnia, caelo
 8 dum videt, egregio purior ore nitet.

DE SUO IN AMICAM, ET DE AMICAE IN SE AMORE.

C_19 v.1 Quae me sola potest nutu servare beatum,
 2 juri in se mihi jus par jubet esse suo.
 3 Quod tamen inflammato haerens alo pectore vulnus
 4 saucius, hoc plagae par negat illa suae.
 5 At mea tanto ardent igni praecordia, quovis
 6 ut fit inexstincto non minor ille rogo.
 7 Transfixis utrius miserorum saevus amantum
 8 pectoribus telum durius egit Amor ?
 9 Urimur igne pari potius, par vulnus utrumque
 10 afficit : extremas imus uterque viis.

DE VENERE DIANAM MENTITA, ET DIANA A CUPIDINE VULNERATA.

C_20 v.1 Callida dum gestat pharetram, vultumque Dianae
 2 induit, et graditur per juga summa Venus,
 3 hortaturque canes, et damam forte fugacem
 4 insequitur, lasso non satis apta pede ;
 5 hanc circum Nymphae solitis clamoribus instant,
 6 et sequitur magno credula turba choro.
 7 Fit Veneri media late per devia silva
 8 obvius horrendo fulmine saevus aper,
 9 hic memor ipsa suum sub pectore volvit Adonin,
 10 quem trucis occisum viderat ore suis.
 11 Si tamen effugiat, fraus est detecta puellis.
 12 Si petat hunc telo, vulnera certe timet.
 13 Dum dubitat, magno cernit clamore sequentem
 14 Dictynnam, et celeres voce vocare canes.
 15 Nympharum subito totos stupor occupat artus,
 16 et dominam ignorans, utraque turba silet.
 17 At nervo imponit teretem Diana sagittam
 18 (nam Veneris structos senserat illa dolos)
 19 pectora rupisset divae, sed veste latebat
 20 virginis, et dextra tela gerebat Amor.
 21 Eminus haud dubia trajecit arundine pectus :
 22 vulnera nunc laeso Delia corde gerit.

DE FOEMINA, QUAE GENERI AMORE CAPTA, FILIAM OBTRUNCAT.

C_21 v.1 Dum genitrix natae sortem sibi jure negatam
 2 invidet, et pietas quod vetat, ipsa parat.
 3 Quam dedit immani saevissima vulnere vitam
 4 eripit. Heu quid non pectora cogis Amor ?

AMPHION FONTI IMPOSITUS.

C_22 v.1 Quem saxa et Dirce mirata, hic dulce cadentis
 2 me tenet et gelido marmore murmur aquae.

ANTONII LOTHARINGIAE DUCIS EPITAPHIUM.

C_23 v.1 Dux Martem rigidum sumptis Antonius armis
 2 ut vidit medios circum fervere penates,
 3 jam senior, tectusque sacris insignia canis
 4 tempora, supremum alloquitur sic voce Tonantem.
 5 "Non licuit, sator alme deum, tam semper amata
 6 aeternum mihi pace frui, sic fata negabant
 7 vivere securum, melioribus invida fatis.
 8 Spes erat armatas numquam penetralia circum
 9 nostra videre acies, et gaudens sanguine bellum.
 10 Spes erat aeternam requiem, semperque beatos,
 11 me duce, perpetua populos in pace tueri.
 12 At passim arma fremunt, lateque minantia cerno

13 horrida bella, virum mortes, casusque nefandos,
 14 castraque, cumque suis eversas moenibus urbes,
 15 invisam rerum speciem, lacrimabile tempus.
 16 Crimine quo tantum merui tolerare laborem ?
 17 At te si qua movet pietas, si jura fidemque
 18 servavi, et gratis implevi altaria votis,
 19 ne nostri effuso foedentur sanguine manes,
 20 vitam aufer, meliore frui simul annue vita."
 21 Talibus orabat supplex, et multa supinis
 22 fundebat manibus. Quem caeli rector ab arce
 23 audiit omnipotens, et vota admisit Olympo.
 24 Ne princeps soceri macularet lumina, dura
 25 morte gener. Dulci tandem dux funere felix
 26 sic exoratis animam finivit in aris.

FRANCISCI LOTHARINGIAE DUCIS EPITAPHIUM.

C_24 v.1 Francisco, si vera fides, antiqua redibant
 2 saecla duce, aeterni primo quae tempore veris
 3 aurea Saturnus magno pater intulit orbi.
 4 Sed mors, humanae cura est cui nulla salutis,
 5 promissum populis invidit avara quietem
 6 optataeque (nefas) auctorem pacis, acerbo
 7 funere, vix primi lapsis jam mensibus anni
 8 ex quo dux patrio gentem pius orbe regebat,
 9 Franciscum rapuit. Patria flevere parentem
 10 extinctum trepidique senes et maeta juvenus.
 11 Feralem dextra tulit indignante cupressum
 12 Austrasiae passim populus, simul aurea dudum
 13 atria cesserunt atro miseranda colori.
 14 Funerae mediis spirantes ignibus umbram
 15 fumavere faces, et sacram humana per aedem
 16 fumus inexpleto suffudit lumina fletu.
 17 Perstitit ipsa suo vigil indulgere dolori
 18 nobilis illustri regum de sanguine conjux,
 19 quam geminae circum dulcissima pignora natae,
 20 egregiusque puer flentes, hic grandior aevo
 21 parvulus, illa altum, balbo vix ore, dolorem
 22 te stantes, miserae lacrimas auxere parentis.
 23 Sic facies invisam mali, sic aerea durant
 24 saecula, et Austrasiae maerent in funere gentes.
 25 At Christina uxor, quamvis dolor urget amantem
 26 conjugis amissi, vultu meliora sereno
 27 assimilans, premit ingentes sub pectore curas.
 28 Susceptamque regit patriis aequissima plebem
 29 legibus, ac prudens animo dat jura virili.
 30 Cui mediam grato pulcherrimus ore per urbem
 31 ipse puer matri graditur comes, atque parentem
 32 observans, medio juvenum dux agmine fertur.
 33 Ille nova, ni fata obstant, spes una quietis
 34 Carolus, et laetum casus solamen amari ;
 35 ille exspectatam placidissimus omine pacem
 36 felici, et regna antiquis feret aurea saeculis.
 37 Ille ingens animis, animo quae maximus olim
 38 concepit genitor, populo, generique nepotum

39 perficiet, patriisque reget virtutibus orbem
40 Austrasium, et placidas mittet sub foedera gentes.

CLAUDII LOTHARINGI GUISIORUM DUCIS EPITAPHIUM.

C_25 v.1 Quantus in adversas Trojae pro moenibus Hector
2 arma tulit fervens acies, et castra petivit
3 Argivum, in medias volvans incendia classes,
4 tantus in arma ruens Hispanum Claudius hostem
5 terruit, et victor spoliis indutus opimis,
6 ad delubra manus tendens, arasque deorum,
7 suspenditque tolo clypeos, et plurima latis
8 saepe Ducum detracta humeris insignia fixit
9 Austrasius, magni genus alto a sanguine ductum
10 Hectoris, at magno felicior Hectore, terris
11 si fata hunc servant, et sors humana beatum,
12 qui senior prolem ingenuam, parvosque nepotes,
13 natorumque pater videat claram ipse suorum
14 virtutem, et patrios animos, et fortia bello
15 pectora, et aeatis curam sub flore senilem.
16 Hector ad arsuras infandis ignibus arces,
17 praesaga jam mente dolens instantia gentis
18 funera Trojanae, et capta cladem urbe suorum,
19 captivae quondam Andromaches ante ora parentis
20 Astyanacta novo moriturum vulnere luxit.
21 Ipse quoque a saevo tandem superatus Achille,
22 Pergama ter circum raptatus, et ora cruento
23 pulvere, concretoque infectus sanguine crinem,
24 longaevo corpus delatum exsanguie parenti est.
25 Hic procul insigni venerandos vertice canos
26 Claudius attollens, incanaque menta, Renato
27 rege satus, natos, horrendi fulmina belli,
28 tum pietate graves illos, ac regna tenentes,
29 atque avus et natis genitos, altamque suorum
30 progeniem, et formam roseo miratur in ore,
31 tot concessa Deum tulerit qui munera princeps,
32 persolvit caelo manibus pia vota supinis.
33 Hos amplexa tenet conjux Antonia, Regum
34 progenies, qualis Divum laetissima partu
35 fert sese turrita comam Berecynthia mater.
36 Scilicet ex illis Tyrium sublimis honorem
37 Carolus attollens humeris et vertice sacro,
38 Romanos inter proceres, ad templa deorum
39 progreditur, sancti decus immortale senatus,
40 Carolus Aonidum coetus laus una sororum,
41 et patriae, et nostri, quam felix gloria saeculi,
42 cui sese comitem frater laetissimus infert
43 Phoebi ingens Ludovicus amor, castaeque Dianae.
44 Is quoque Sidonio velatus murice, vocem
45 ingeminat, laetumque canit paeana chorais.
46 Te, Francisce, ducum bello fortissime, cladem
47 Sarmatici populi, Thracumque, et gentis Iberae,
48 invictus quondam, horrescit modo Caesar, et illum,
49 qua sua cumque ruens obvertit signa, ruentem
50 sistis, et in medium tete obvius injicis agmen ;

51 quasque alte volitare vides, et ab hostibus in te
 52 proferri ardentem, ac circum effulgere campo
 53 adversas, aquila vento panduntur inanes.
 54 Quippe sub excelsae, Caesar quam obsederat, urbis
 55 moenibus (illa tuo firmissima robore perstant)
 56 inque his, quae validi servant confinia Belgae
 57 te victos victore duces, et cladibus ipsum
 58 Caesarem, et indomito turbatas marte cohortes,
 59 hinc Morini, ruptis armorum insignibus, illinc
 60 laevia arenosi videre fluenta Mosellae.
 61 Par animis, aetate minor Franciscus, eodem
 62 nomine, lata secat stridentibus aequora rostris.
 63 Et belli adversis gestans insigne superbum
 64 pectoribus, lectas agit in certamina classes.
 65 Claudius armatos equites, galeaque decoros
 66 instruit, et trepidum denso agmine fertur in hostem.
 67 Cui comes in media comitantum pube, Renatus
 68 additur, impubesque genas ostentat, avitae
 69 spes firmata domus : hic Regum nomen avorum
 70 ille patris, patrio referens cum nomine, laudes.
 71 At Maria, immenso praecinctis imperat oris
 72 Oceano, Regina potens, illi aequora late
 73 quae Zephyro, Phoeboque tepent extrema cadenti,
 74 et gens flava subest, et terrarum ultima Thule.
 75 Illa, manu victrice feros a finibus hostes
 76 egit, et ingentes accepto foedere motus
 77 composuit, generumque sibi Delphina paravit,
 78 egregium Delphina, Deum qui munere felix
 79 vivat, et ipsum aequet numerosa laude parentem.
 80 Una graves luctus animis Ludovica suorum
 81 attulit (immiti sic mors rapit omnia fato,
 82 nec datur expertes mortalibus este doloris,
 83 sollicitive metus) illa Chimeius heros
 84 ah miser amissa doluit vir conjuge, raptam
 85 questus, et imbellis crudelia fata juventae.
 86 Templata colunt aliae, et vigiles altaria circum
 87 sacra canunt : his ore decus, menti insidet altae
 88 virginitatis amor, caelo pia vota feruntur.
 89 Claudius hanc prolem genitor, natosque suorum
 90 dinumerans, aevo gravior, sed laeta senectus,
 91 ecce sacro tandem (miserabile) torridus igni
 92 arsit, et exusto confestim cruce, suprema
 93 flexit voce Deos, atraque natantia nocte
 94 lumina versavit, vitamque effudit in aris.
 95 Tantum heroa videns alto ferus aethere Mavors
 96 exstinctum, ingemuit, patrii gemuere penates,
 97 Austrasiique duces, et quae de sanguine Regum
 98 est domus : illum et Rex amissum, et Gallia flevit
 99 omnis. At hoc tandem solido de marmore, nati
 100 maerentes, immane patri posuere sepulchrum.

IANI LOTHARINGI CARDINALIS AMPLISS. EPITAPHIUM.

C_26 v.1 Quisquis ab extremo veniens oriente viator
 2 pergis ad Oceani, qua sol cadit aureus, undas,

3 seu procul a mediis calidis humoribus Austri
 4 tendis Hyperboreo rigidum contingere litus
 5 frigore, et insano ventos Aquilone furentes,
 6 horrentemque gelu Scythiam, Pontumque nivalem
 7 excitus fama ingenti, quae laeta sub auras
 8 fertur, et immensum late cirrumvolat orbem,
 9 magna sonans, magnum assiduo vigil aera cantu
 10 dum stridens movet, atque solo exspatiata repente
 11 sublimem excelso tollit celer aethere Janum.
 12 Janum, fama volans atavis quem nuntiat ortum
 13 regibus, et generis praeclarum insigne gerentem,
 14 largaque porrecta jactantem munera dextra :
 15 hic consiste. Vides atro de marmore limen
 16 vicinum, tumulumque gravem, quo membra sepulchro
 17 mortua conduntur magni post funera Jani.
 18 Illum dum placidi sinuoso a Tibridis amne
 19 Ausoniaeque redit populis, Romaque potenti,
 20 jam patrios intra fines, qua Gallica culta
 21 Sequana praecipiti laetissimus alluit unda,
 22 appositis curas epulis, animumque levantem,
 23 heu subita incautum mors occupat, occidit una
 24 occidit Austrasiae clarum decus, ipsaque acerbo
 25 flevit inexpletum maestissima Gallia casu.
 26 Fleverunt Italum gentes, et conscia fratrum
 27 agmina, caesaries tegitur quibus alta rubenti
 28 ornatu, et Tyrio fulget sacra murice vestis.
 29 Ipse adeo pater ingemuit, qui templa sacerdos
 30 celsa Deum colit, et triplici veneranda corona
 31 tempora praecinctus Divum prece numina placat.
 32 At passim errantes, lacrimas fudere Camenae,
 33 et genus Aonidum vates, et quisquis amoenum
 34 facundo volucris fontem bibit ore Caballi.
 35 Scilicet exstinctum maerore herosa dolentes
 36 exanimi, Musas nimio qui captus amore
 37 arserat, et studio vates opibusque levarat.
 38 Qualiter Augusto magni moderante tumultus
 39 Imperii, populoque patris florente Quirini,
 40 Maecenas hederæ velatam frondibus urbem
 41 excoluit, magnumque dedit cantare poetis,
 42 et sua condignae servavit praemia laudi.
 43 Nec minus attonitæ gemuit pars maxima plebis,
 44 questa quod indigno Janum impia fata tulissent
 45 funere, nec toto quisquam nunc orbe supersit,
 46 quo miserante fames inopum, vel dura levetur
 47 pauperies, atque ampla manu qui munera donet.
 48 Sic humana Erebi rapit implacabilis, atra
 49 omnia nocte lues, sic altum exsanguis soporem
 50 corpus humo carpit gelida, manesque sepulti ;
 51 fama sed aeternum durat, Janique superstes
 52 vivit inexstincto per saecula nomen honore.

MARGARIS EGMONTAE, VALLISMONTANAE COMITIS EPITAPHIUM.

C_27 v.1 Margaris, heroum genus, Egmontaea, benignas
 2 Lucinae paritura manus, et numen amicum,

3 quattuor autumnis ter senserat, oraque mater
 4 natorum fecunda trium complexa tenebat.
 5 At quarto (sic mors homini ruit obvia) partu
 6 conceptam conata parens educere prolem,
 7 nequicquam ad duros, ut erat distenta dolores,
 8 imploravit opem moderantum cuncta Deorum.
 9 Pallida mors adimit sensus, at viva sub auras
 10 incolumem ediderat generoso semine fetum.
 11 Et jam nata decens, exstinctis ante duabus,
 12 una erat Errico demum cum fratre superstes.
 13 Ecce inter luctus medios et funera matris,
 14 amissam egregio referens puer ore parentem,
 15 heu forte indigna rapitur, vivusque repente
 16 commutat roseum pallenti morte colorem.
 17 Sic ubi purpureum densa inter gramina florem
 18 mollia prata ferunt, et quattuor ordine lentum
 19 spirant, quae circum gemmae funduntur, odorem,
 20 forte sub auroram sternens sata laeta putator
 21 falce metit summum, quod moverat aura, cacumen.
 22 Hunc florem circum tenero qui vertice passim
 23 ad caelum exierant alii sternuntur, et alte
 24 succiso ad terram procumbunt stipite flores.
 25 Una solo superat, quae ferro intacta remansit
 26 gemma nitens, omnemque ornat procul edita campum.
 27 Phoebus eam celso surgentem spectat Olympo,
 28 demulcent Zephyri, levibus coma panditur auris
 29 plurima, dat liquidum sitiienti Juppiter imbrem,
 30 donec in immensum flos exiit, altaque natos
 31 ecce nova radix emisit origine flores :
 32 haud aliter maesto solamen dulce parenti
 33 floreat, et grato dives Ludovica Deorum
 34 munere se laetam ferat ; ac circum undique longo
 35 ingenuam fecunda recenseat ordine prolem.

CLAUDII PENICERII AD DIVUM APRUM COENOBIARCHAE EPITAPHIUM.

C_28 v.1 Ausoniis ego clarus avis, hic Claudius alta
 2 compositus tellure tegor, felicibus olim
 3 auspiciis, Italo gemuit quem laeta marito
 4 Austrasia de gente parens. At sanguine primum
 5 Hesperio, domus alta dedit Peniceria nomen.
 6 Indeploratum non me hic in nocte suprema
 7 relligio pietasque sinunt, et coetus amico
 8 foedere conjunctus fratrum, qui sacra canentes
 9 haec delubra colunt, fusique altaria circum
 10 tura ferunt, onerantque aras, et numina poscunt.
 11 His ego dum pridem, fatis et munere Divum
 12 praeficior, placidamque fovet pax festa quietem,
 13 bis denos actis explevi mensibus orbis.
 14 At membris miseranda lues (ita sorte negatur
 15 hic passim indigna mortalibus esse beatis)
 16 Ecce subit, duroque artus langore solutos
 17 attenuat macies, et mollibus ossa medullis
 18 exsiccat, lenta sensim liquentia tabe.
 19 Mors adimit sensus, tristisque a funere tandem

20 hunc patruo tumulum grati posuere nepotes.

DIANAE BALDORIAE VXORIS EPITAPHIUM.

C_29 v.1 Qualis inexpletum gelidas ad Strymonis undas
 2 Thracius amissa lacrimavit conjuge vates
 3 ingeminans questus, altaque a rupe ferarum
 4 agmen, et aerias deduxit carmine quercus :
 5 Eurydicen dirae tactu serpentis ad imas
 6 demissam sedes Erebi, noctemque profundam
 7 voce vocans, et dona querens atri irrita ditis,
 8 talis ego imbelli cithara, fidibusque canoris
 9 te mea, nocte vigil, te persono luce Diana,
 10 nequicquam indulgens lacrimis, omnesque peragrans
 11 Austrasiae lucos, saltusque, et inhospita lustra.
 12 Hic gravibus longe responsant antra querelis,
 13 saxaque, silvestresque ferae, collesque supini,
 14 et nemora, et steriles agri, et cum fontibus amnes
 15 crebra gemunt, ac sollicitum miserantur amorem.
 16 Ipse sed obscuris errantem in vallibus Orci
 17 Eurydicen Orpheus (vates si vera loquuti)
 18 visit, et exsanguis commovit questubus umbras.
 19 Te primum ut misero fera mors invidit amanti,
 20 te postquam amplexu juvenem Baldoria nostro
 21 eripuit, dulcique in conjugis ore gementis
 22 artubus a gelidis anima exhalata recessit,
 23 ecce comes caelo virtus aeterna locatam
 24 ad Divum aethereas evexit limite sedes.
 25 Quam superum laeto circum chorus agmine cinctam
 26 excepit, mediosque inter celsi aetheris ignes
 27 libavit sacro Divum pater oscula vultu.
 28 Illic pura nites : at te mihi, donec acerbum
 29 vivere me mea fata volent, atque orbe morari,
 30 fas alto vacuum petiisse per aera caelo
 31 non erit, et solitis in collo haerere lacertis.
 32 Hoc vitam vates, hoc me felicior egit
 33 munere, quod manes arcessit conjugis Orpheus,
 34 praferor hoc illi, tua quod suprema dolentem
 35 funera, me spectes alto sublimis Olympo.
 36 Quo te, si qua tuae virtus erit aemula laudis
 37 quae caelo tollat cupidum, sequar ipse, nec ultra
 38 experiar tantos indigna sorte labores.
 39 Una quies ambobus erit, pax una fovebit
 40 compositos, actoque aderit mens aequa timore.
 41 O ubi te nota compellem voce, tuoque
 42 jam carne exutus dura, meus ore fruatur
 43 spiritus, o qui me caro, immortale per aevum
 44 sistat in amplexu, et tecum det vivere caelo.
 45 Hic exoptatae dum spes erit una salutis,
 46 exstinctam, gemitu, lacrimis, et voce Dianam.
 47 Te querar, ac longum cantu solabor amorem
 48 Austrasiae de more nurus altaria circum
 49 lugentes, altoque genus de sanguine ductum,
 50 et laudem, et clarae meritos virtutis honores
 51 et sanctum in casto narrabunt corde pudorem.

52 Unicus interea de funere matris acerbo
 53 raptus, et amissam referens puer ore parentem,
 54 te referens, ipsaque tuos in imagine vultus
 55 attollens, qualis vel Myrrhae fertur Adonis,
 56 vel quales nudi tabula pinguntur Amores,
 57 pendebit maesti circum patris oscula natus.
 58 Nunc mihi si spatium durante superstitionis aevi
 59 fata Deum servare parant, hic forsitan olim
 60 cogar in extrema patienter sorte dolere.
 61 Atque ubi iam pueri plenis adoleverit aetas
 62 mensibus, ingenioque feret majora capaci,
 63 maternum decus, et laudes, et nomen avorum
 64 expediam, et quanto superet discrimine virtus.
 65 Tum quot me duris fortuna laboribus actum,
 66 quot maris ereptum gravibus, terraeque periculis
 67 ad patrios demum impulerit consistere fines.
 68 Scilicet, ut fessum requies dum grata foveret,
 69 his mihi dum tandem melior fulciret in oris
 70 spes animum, tanti obruerer molimine casus.
 71 Majorum exemplis dulcem super omnia natum,
 72 praemia ad antiquae passim virtutis, et omni
 73 ad veram hortabor studio contendere laudem.
 74 Annuat, et votis adsit Deus, atque virenti
 75 aspirans foveat crescentem flore juventam.
 76 Hinc me quamprimum, cui te sine, quicquid in orbe
 77 luminibus fortuna usquam tulit obvia maestis,
 78 accidit ingratum, celsa Pater optimus arce
 79 accipiat, dulcique simul cum conjuge certam
 80 det precor aeterna producere pace quietem.

EIVSDEM EPITAPHIUM.

C_30 v.1 Dum cadit indigno Masuri Baldoria conjux
 2 funere, iam parta prole puella parens,
 3 vox anima fugiente fugit, pro voce, lacertis
 4 amplexa est cari dulcia colla viri,
 5 mente "vale" dixit ; puerum simul obtulit, ac se
 6 diceret, "hoc nostri pignus amoris habe".
 7 Sic eadem et causam lacrimis, et dulce dolori
 8 solamen liquit : spiritus astra petit.

FRANCISCI CLEMEREII EPITAPHIUM.

C_31 v.1 Jam quater autumnus frondes agitante caducas,
 2 et toties agris, qua florent, vere colores
 3 immittente novos, atram Clemereius aegro
 4 languidus orabat nequicquam corpore mortem :
 5 pervigil heu vocem ingeminans, et saeva deorum
 6 fata querens, morboque animum dejectus inertem,
 7 protinus invisam quaerebat rumpere lucem.
 8 Quinta sed optatam felicior attulit aestas,
 9 quamvis (sic aevo durabilis inscia fati
 10 mens hominum) spes haud vitae foret ulla, salutem.
 11 Ergo ubi iam firmis praeter spem tabida cessit

12 artubus acta lues, imisque repente reduxit
13 se sanguis venis, et vividus ossibus humor,
14 sedibus excedit patriis, atque impiger alti
15 ardua conscendit Vogesi juga , perque reductas
16 obscurus valles, qua gens Helvetia longe
17 arcet ab extremis armatum finibus hostem,
18 laetus in Ausoniae spatiosas fertilis urbes
19 devenit, ac Ligurum populos, atque alta Quirini
20 moenia perlustrans, et Parthenopeia regna,
21 aequoraeque, et Veneto positas in litore gentes,
22 quam longus, studiis omnem juvenilibus annum
23 exigit, aeriasque jugo, quas ante per Alpes
24 venerat, exsuperans, ipsis celer inde relictis
25 Alpibus, Austrasiam repetit, patriosque penates.
26 Quo properans, hac, qua Rhodano confunditur amni
27 mitis Arar, convertit iter, paulumque moratus
28 gens ubi nativis dulces in collibus uvas
29 Sequana ferventi libat celeberrima Baccho,
30 optato tandem potitur lare, et arva revisit
31 grata, quibus laeti natum excepere parentes
32 incolumem, passoque humeros, et colla, caputque
33 infusi fovere sinu, simul omnis amore.
34 Plena domus, gremio reducem complexa patenti est.
35 Heu quantum obscura caecis humana tenebris
36 pectora noctis habent ! Valido firmata juvenus
37 robore, et ingenio pulcherrima divite victus,
38 et studium, et praestans animo doctrina virenti,
39 dum variae juvenem dotes ornantque, feruntque
40 ad caelum, et merita commendant praemia laudis,
41 jam gravis ereptum longa torpedine morbi,
42 nuper et innumeris patrio procul orbe periculis
43 jactatum, nec quicquam animo jam triste moventem
44 dum secura quies, et res, et amica sopori
45 otia delectant, acri mens alta timore
46 dum vacat, et placidum demulcent gaudia pectus.
47 Forte vagus media (sic fors tulit) urbe frementi
48 fertur equo juvenis, circum delecta juvenus,
49 atque aetate pares illum comitantur amici.
50 Ecce labans laevi silicum compagine putrem
51 concidit ad terram quadrupes ; at pronus aperto
52 vertice vir, fractaque miser cervice cruentam
53 pulsat humum, et multo late loca sanguine foedat.
54 Semianimem famuli referunt, altoque gementes
55 membra toro defecta locant ; hic tertia vidit
56 lux oculos, atra (infandum) sub nocte natantes.
57 Pallida mors adimit sensus, sopor occupat artus
58 frigidus, ac tenues anima exhalatur in auras.
59 Sic miseris, hunc o tumulum quicumque viator
60 conspicis, incerta est mortalibus hora paratae
61 mortis, et indigno dilectam funere lucem
62 linquimus, heu caeci prorsum improvisa ruentes
63 in fata, et blandae capti dulcedine vitae.
64 Sic densa circum premimur caligine saepti,
65 et passim obscuris homines erramus in umbris.

EIVSDEM EPITAPHIVM.

C_32 v.1 Francisco mortem oranti mors atra negatur,
 2 dum labefacta gravis conterit ossa dolor.
 3 Mox ubi morbus iners abiit, spem praeter, et omni
 4 succedit pulso grata dolore quies,
 5 ecce frementis equi Clemereium terga prementem
 6 dejicit, ac miserum mors inopina rapit.
 7 Sic incerta ruit certae mortalibus hora
 8 mortis, et exstincto lumine vita fugit.

ALBERICI MOTHAEI EPITAPHIVM.

C_33 v.1 Dicite, Pierides, cur atra in morte Mothaeum,
 2 dicite cur solita destituistis ope.
 3 Vos ille Aonio deduxit monte sorores,
 4 tensa levi feriens pollice fila lyra ;
 5 vos illum comites ignota per arva secutae,
 6 et vastum tumidis qua patet aequor aquis ;
 7 vos puero primum vestro solamen amori,
 8 dum patrios alta deserit urbe lares,
 9 auxiliumque, decusque viae, dulcisque fuistis
 10 gloria, et in duro grata labore quies.
 11 Protinus Austrasiis egressum finibus, oras
 12 egistis Musae visere Vindelicas.
 13 Hospita, qua lato RhenuS fluit amne bicornis,
 14 terra fuit : Cimbri, Vangionesque feri.
 15 Marcomanae gentes videre, acresque Sicambri.
 16 Indomiti fessos detinuere Getae.
 17 Hospitio Batavusque, et Thrax, et Sarmata fovit,
 18 et Dacus rapidis quem lavit Ister aquis.
 19 Inde fuga trans aérias agit impetus Alpes,
 20 sistit et Ausonio vosque virumque solo.
 21 Hic Padus et Ligures, et Etruria fortis, et Arnus,
 22 et vetus immensas Hadria pandit opes.
 23 Hinc Tiberis petitur pater, et mavortia fetam
 24 antra quibus fama est procubuisse lupam.
 25 Romanae excipiunt arces, atque alta Quirini
 26 moenia, et Iliacis numina rapta rogis.
 27 Parthenope, quaque Aetna suis fuit ignibus, et qua
 28 Hesperium Siculo dividit unda latus.
 29 Trinacriaeque altis exstructae moenibus urbes,
 30 et parvis Calabri vos habuere casis.
 31 Itur et ad gentes qua latum ejectus in aequor
 32 praecineta Oceano regna Britanne colis.
 33 Vix reduci tandem patria, Austrasiique penates
 34 gratati, et magno dulcis amore domus.
 35 Laeta datur juveni conjux, et voce Camenae
 36 et cithara festum concelebrastis hymen.
 37 Jamque tori sociae toto quos orbe labores
 38 hauserat, et longum commemorabat iter.
 39 Jam studio patriae vigil incumbibat, et armis
 40 una erat hostiles vincere cura manus.
 41 Vix actis adeo vitae sex ordine lustris,
 42 mors juvenem indigna pallida sorte rapit.

43 Nec decimum Phoebe solitis impleverat orbem
 44 ignibus, et volucres axe regebat equos,
 45 ex quo lux taedis erat acta jugalibus, ecce
 46 deseritur viduo maesta puella toro.
 47 Ille acer, viridique nitens aetate juventae
 48 deficit, ac toto corpore vita fugit.
 49 Nec virtus, aut aequa virum constantia morti
 50 eripuit, non vis exagitata malis :
 51 non homini laevum facundia depulit omen,
 52 doctaque quod variis solveret ora modis,
 53 quod Latio sermone potens, quod Graeca sonaret,
 54 et qua se lingua jactat Etruscus ager,
 55 quaque truces alio fari decet orbe Britannos,
 56 quosque vomit rabido Teutonus ore sonos.
 57 Sic ardore mali confestim torridus, altam
 58 exanimi juvenis corpore pressit humum,
 59 et jacuit decus Austrasiae, mox frigidus illi
 60 occupat, extincto lumine, membra sopor :
 61 non secus ac languens cultis flos decidit hortis,
 62 cum steriles igni Sirius urit agros.
 63 Vosque deae frustra morientis voce vocatas
 64 detinuit Pindi non adeundus apex.
 65 Dicite, Pierides, cur atra in morte Mothaeum,
 66 dicite cur solita destituistis ope.
 67 Hac ego sum dulces affatus voce Camenas.
 68 Quarum de medio sic ait una choro :
 69 "Noster amor, nostri succensus amore Mothaeus
 70 dum facilem tenui barbiton ungue ferit,
 71 in patriam Aonio nos quondam e vertice duxit
 72 qua gelidus sacro fons Helicone fluit.
 73 Inde per immensum nobis comitantibus orbem
 74 terra, altoque volans aequore fecit iter.
 75 At tandem ut reduci tetigit natalia primum
 76 arva pede, et patria limina cara domus,
 77 utque verecundos tenera vir conjugis ignes
 78 fovit, et est casto juncta puella toro,
 79 immemor Aonidum, sese horrida Martis ad arma,
 80 ponendaque novum contulit arcis opus.
 81 Huic instans vigil, et nostrum aspernatur amorem,
 82 murorum ingentes erigit arte minas.
 83 Ergo indignatae juvenem diversa secutum,
 84 atque oras dulcis linquimus Austrasiae.
 85 Ad juga tum celsi contendimus ardua Pindi,
 86 quaeque Caballino gramina fonte madent.
 87 Stamina sed postquam nentes fatalia Parcae
 88 videre Austrasio nos procul ire solo,
 89 jamque ope desertum nostra ut sensere Mothaeum,
 90 crudeli incautum corripuere manu,
 91 atque adeo aetatis laeto jam flore virentem,
 92 sic valido virtus corpore grata fuit.
 93 Scilicet haud ulla moriturum sorte putantes,
 94 canities umquam si foret alba seni.
 95 Si tamen Aonidum decus immortale, nec ullo
 96 gloria, quam longum, tempore nostra cadit,
 97 si quis honor vatam famae, magnumque per orbem
 98 carmina si nostro numine tuta volant,

99 invitis aeterna aevi per saecula Parcis,
100 perpetua celebris laude Mothaeus erit.

CONVALESCENTIS HYMNUS IN DEUM.

C_34 v.1 Cuncta qui nutu moderatur, alta
2 mitibus clemens oculis ab arce,
3 vidit obliquo pater evagantem
4 tramite natum.
5 Quanta neglecti valet in parentis
6 corda, non ira levioere motus,
7 corripit natum genitor petentem
8 devia cursu.
9 Nec parem errori meritisque poenam
10 sumpsit ; at caesum levioere plaga
11 filium blande monuit, pioque in-
12 -dulsit amore.
13 Sic ovis latas ubi sola silvas
14 et grege et caulis peragrat relictis,
15 pastor errantem videt a remoti
16 vertice saxi,
17 rupe de celsa ruit, et coactum
18 deserit solis pecus omne campis :
19 hinc ovem gaudens humeris relatam
20 reddit ovili.
21 Sensit ultricem genitoris iram
22 natus, et vultu lacrimis madenti,
23 ut sui quondam puer, et paterni
24 prodigus aeris,
25 hic Deum votis onerat, manusque
26 tendit excelso duplices Olympo,
27 ac suum supplex humili precatur
28 voce parentem.
29 Tu, pater, poenas (quid enim parentis
30 nomen appello ?) merito rependis.
31 Novit admissum scelus omnis alti
32 incola caeli.
33 Cuncta prodegi miser ; at revertor
34 unde diffugi. Sine me recondi
35 transfugas inter famulos, et atro
36 stigmatem dignos.
37 Haud tuus dudum mereor vocari
38 filius. Verum cruce dignus oro
39 inter abjectos aliqua tuorum
40 parte reponar.
41 Gaudium sancto lacrimas parenti
42 dulce commovit ; veniamque nato
43 aequus oranti pater, et paternas
44 annuit aedes.
45 Sic pia nati prece paenitentis
46 motus, admissum gremio manuque
47 fovit, ac spissis timida reduxit
48 mortis ab umbris.
49 Redde me saevis deus a ferarum
50 faucibus tutum, mediumque saeptis

51 contine : certo simul orbe pressos
52 dirige gressus.